



STANFORD UNIVERSITY LIBRARY
1969

SCRIPTORES AETHIOPICI

SERIES ALTERA — TOMUS XXVIII

ACTA MARTYRUM

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
CURANTIBUS
I.-B. CHABOT, I. GUIDI
'ERNAT, B. CARRA DE VAUX

SCRIPTORES AETHIOPICI

VERSIO

SERIES ALTERA — TOMUS XXVIII

Ethiopic church. Liturgy and ritual.

ACTA MARTYRUM

INTERPRETATUS EST FR. M. ESTEVES PEREIRA

I

ROMAE
EXCUDEBAT KAROLUS DE LUIGI

PARISIIS
CAROLUS POUSSIELGUE BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE: OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCVII

I

GADLA FĀSILADAS

SEU

MARTYRIUM SANCTI BASILIDIS

Martyrium sancti Basilidis scriptum est haud dubie in Aegypto; at textus primigenius, graecus vel copticus, adhuc non est repertus. Eius versio arabica extat in codice Parisiensi (Bibl. Nat., fonds arabe, nº 150, f. 212 *v.*—280).

Aethiopicae versionis Martyrii sancti Basilidis nota sunt apographa septem; qui ea continent codices sunt:

Abbadiani duo: nº 127 (antiquus); nº 110 (saeculi XVIII).

Musei Britannici quinque: Orient. 706 (saec. XV); Orient. 686, 687-688 et 707 (saec. XVIII); Orient. 708 (saec. XIX).

In prologo versionis aethiopicae, Martyrium sancti Basilidis adscriptum est Caelestino papae Romae sub imperatore Theodosio (379-395 I. C.). In epilogo veterum apographorum eiusdem versionis, asseritur illud translatum esse e lingua coptica in aethiopicam (geez) anno 6889 M. (1397 I. C.) sub rege Davide (1382-1411 I. C.), ab abba Simeone, monacho monasterii sancti Antonii in Aegypto. Sed aethiopica versio valde redolet arabicum sermonem.

*MARTYRIUM SANCTI BASILIDIS. p. 3.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, unius Dei.

Hoc est certamen, et labor, et martyrium sancti praefecti militum, fortis Basilidis, martyris Domini nostri Iesu Christi, de quo pater noster sanctus Caelestinus, archiepiscopus magnae urbis Romae, nobis narravit, cum ad eum venerunt a rege Theodosio tres praefecti militum e domo regia propter regis negotia; et nomina eorumdem trium praefectorum militum erant Dionysius, et Augeyos [1], et Barmadyos [2]; et ii erant e familia sancti Basilidis; et rogaverunt archiepiscopum, ut eis referret certamen sancti Basilidis, et quomodo fuerit consummatio eius certaminis et martyrii in urbe Africae, quae est una e Pentapoli. Et fuit consummatio eius certaminis et martyrii undecimo die mensis maskaram, in pace Dei Patris; eius oratio et eius benedictio et donum auxilii huius sancti Basilidis sit cum ei dilecto Za-Walda Maryam, in saecula saeculorum. Amen.

Et archiepiscopus respondit, et dixit eis: « Bonus est adventus vester ad me, principes christianorum, nobiles, et praefecti militum regni Romanorum; quia nos consolati estis, et laetificastis nos; et nunc etiam incipiemus cum auxilio Dei, et vobis narrabimus honorem et fortitudinem huius athletae, qui coronatus est a Christo corona caelesti, scilicet sancti Basilidis.

Hic sanctus fuit is, qui dimisit regnum huius mundi, et eius honorem transitorium, propter gloriam caelestem incorruptibilem; et dimisit omnes divitias eius, quae cariosae sunt et corrumpuntur, et voluptates terrae pro bonis caelestibus aeternis et usque in aeternum. Et si dimisit a se omnes servos suos et ancillas, ecce Dominus paravit ei angelos, qui ministrabant ei et perficiebant eius voluntatem; et si reliquit palatium mundi et quod est in terra, ecce Dominus paravit ei magnum palatium in caelis, quod non est factum *manu hominum, iuxta Dominum nostrum Iesum Christum, regem regum verum. Ego miror, et gratum est mihi narrare illas magnas gratias, quae non conficiuntur, quae Deus largitus est huic sancto Basilidi; bonum est, quod dixit Dominus noster Iesus Christus in sancto

[1] Εὐγένιος (?). — [2] Πριμάτιος (?).

Evangelio [1]: ' Qui credit in me, opus quod ego facio ille faciet '. Et iterum dixit [2]: ' Ubi ego adsum, illic erit mecum qui ministrat mihi '. Et hoc verbum perfectum est in hoc beato et sancto Basilide.

Benedictus est Deus Pater, Dominator totius mundi; et benedictus Filius Unigenitus Iesus Christus Dominus noster; et benedictus Spiritus Sanctus Vivificator, qui deiecit superbum regem Diocletianum apostatam, qui aperuit os suum impurum, et blasphemavit contra Deum Creatorem suum, et contra Messiam eius; et Deus non siluit propter sanguinem suorum servorum et sanctorum, quem ille rex effudit; et propter ecclesias christianas, quas ille destruxit; et propter altaria, quae ille evellit et evertit; sed Deus aperuit eas, et publicas fecit denuo; et iussit in erigendis eis, ut meliores essent quam antea, cum auxilio sanctorum martyrum. Deus, qui facit mirabilia pro suis sanctis, deiecit potentes ex eorum sedibus; et dedit eorum regnum servis suis, et fecit eos potentes super divitias eorum dominorum. Audite nunc, et suscitate corda vestra, ut ego vobis referam honorem huius fortis, qui est verus, et eius progeniem; ut ego patefaciam praeclara facinora, quae is sanctus fecit in terra Romae, is sanctus et nobilis Basilides, quo Deus dignos fecit nos, ut patefaciamus omnia eius opera, et eius certamen, et eius laborem, quem tulit propter nomen Christi ».

Caput I.

Is Basilides, praefectus militum, erat filius Eudocii, fratris Soterici, qui erat filius Eumenii, comitis Antiochiae; cuius divitiarum fama pervenit ad omnes fines mundi. Et cum comes Eumenius requievisset, et eum posuissent iuxta eius parentes, pro eo constituerunt maritum filiae Eudocii, quae *maxima erat, quia ea erat regina; et ea erat soror Basilidis et mater Theodori Anatolii; et secundo loco erat Theodora, soror Basilidis; et eam in matrimonium duxit rex Numerianus; et Theopistam, sororem eiusdem Basilidis, quae erat minima, in matrimonium duxit Ptolemaeus, frater regis Numeriani; et ea peperit ei sanctum Claudium praefectum militum. Et in diebus illis Ptole-

p. 5.

[1] Cf. Matth., xxi, 21. — [2] Cf. Matth., xviii, 20.

maeus fuit comes in urbe Antiochia. Et Basilides in matrimonium duxit sororem matris sancti Victoris, cui nomen erat Sophia; et ea peperit ei pueros duos; et appellavit unum nomine eius Eusebium, et minorem Macarium; et illa peperit ei filias duas;
5 et appellavit unam Ionam, et minorem Rodem. Et Basilides erat validus, et fortis, et consiliarius regum in omnibus temporibus; et erat princeps super omnia officia regni; et rex Numerianus nulla edicta de negotiis regni constituebat sine Basilide; et Basilides semper comedebat cum eo ad eius mensam. Et in
10 diebus illis Theodora, soror sancti Basilidis, uxor regis Numeriani, genuit et peperit huic filium; et ea appellavit eum nomine eius Iustum; et Iustus educatus est cum Eusebio, filio Basilidis; et cum pueri adolevissent, Basilides eos docuit doctrinam, et disciplinam, et sapientiam regum, et timorem Dei; et Basilides
15 admovebat cor suum et animum suum ad Iustum, quia is erat filius sororis suae. Et rex Numerianus iussit ut adducerent Iustum, filium suum, ad legendum coram se, sicut doctus fuerat; et ubi pervenit ad eum, legit; et rex laetatus est valde. Et post haec adoleverunt pueri Iustus et Eusebius; et eorum
20 aetas erat novem annorum; et Iustus maior natu erat quam Eusebius quindecim diebus. Et rex iussit ut adducerent ad se pueros; et ornaverunt eos, et adduxerunt eos coram rege; et is, cum vidisset eos, laetus fuit de iis valde, quia vidit eos in tanta pulchritudine. Et rex iussit ut equitare facerent eos in
25 validis equis, quorum cursus velox esset, utque docerent eos artem belli et dimicandi; et paucis diebus didicerunt eam artem. Et rex iussit iterum ut adducerent eos ad se; et cum rex vidisset eos, delectavit eum eius cor, et laetus fuit valde; et eo die cinxit eos cingulis aureis; *et vestivit eos vestibus tenui- p. 6.
30 bus et pretiosis. Et ita manserunt eo anno, donec eorum aetas fuit decem annorum; et Basilides docebat eos timorem Dei et sapientiam regum; et ducebat eos clam ad archiepiscopum, ut eis benediceret; et archiepiscopus prehendebat puerorum manus, et ponebat eorum manus super caput suum, et di-
35 cebat eis: « Benedicite mihi vos, filii mei, quia ex vobis exit tus odoratum et magnum ». Et Basilides, praefectus militum, mirabatur, cum audiret haec verba; et nomen ipsius archiepiscopi erat abba Stephanus. Et postea rex iussit ut adducerent iuvenes ad se; et adduxerunt eos, et coram eo ad-

stiterunt. Et rex, cum vidisset eos, laetatus est valde; et iussit ut equitarent in eorum equis, et susciperent annulos lanceis. Et postea rex iussit ut congregarentur omnes validi, qui erant in urbe regia, et praefecti militum, et optimates, et magistratus, et praepositi, et consiliarii, et domini, et omnes duces 5 et copiae, ut adstarent coram rege per dies sex, ut laetarentur in sollemnibus epulis quas fecit propter iuvenes Iustum et Eusebium. Et postea rex sumpsit coronam regni sui, et imposuit eam capiti sancti Basilidis; et salutavit eum, et sedere fecit eum ad dextram suam. Et sumpsit cingulum aureum, et 10 eo cinxit Iustum, filium suum; et fecit eum praepositum pro se ipso; et sedere fecit ad dextram sancti Basilidis, et posuit eum tertio loco post regem. Et eodem modo cinxit Eusebium cingulo aureo; et imposuit cassidem ferream eius capiti; et dedit ei gladium, quo cinxit eius latus; et constituit eum principem super 15 duces et copias, et super praefectos militum et super tribunos; et statuit eum quarto loco ad salutandum; et posuit omnes validos sub eius potestate. Sed Apater et Theodorus Anatolius erant filii sororis sancti Basilidis et praefecti militum. Et Sotericus, praefectus militum, erat filius fratris patris sancti Ba- 20 p. 7. silidis, *cui nomen erat Nicanor; et gentes Persiae occiderunt eum in bello; et is erat vir fortis, qui notus erat per totam provinciam Romae. Sed fortissimi virorum ceperunt Iustum et Eusebium, et docuerunt eos omnem artem belli et dimicandi, ut fortes et noti essent inter copias. Et sanctus Basilides erat 25 princeps super universam domum regiam, et super omnia officia; et ea administrabat sapientia sua; et omnes, qui erant in domo regia, diligebant valde sanctum Basilidem, et obediebant ei, et observabant eius verba, quia bonum erat valde eius exemplum; et ille erat misericors et clemens, et amabat pauperes, et vi- 30 duas, et orphanos; et omnes benedicebant eum.

Caput II.

Et in diebus illis surrexit contra eos bellum et proelium a 35 copiis Barbarorum ab Occidentis partibus; et hi destruxerunt totam provinciam Romae, donec pervenerunt ad urbem Romam. Et venerunt gentes, et nuntiaverunt regi Numeriano de Barbaris, quomodo illi destruxerant multa oppida territorii urbis

Romae; et iidem populi appellabantur Rosankes. Et cum rex audivisset haec verba ab iis qui nuntiaverunt ei, tristis fuit valde; et iussit ut sanctus Basilides veniret ad se, et secum deliberaret de gentibus Barbarorum. Et sanctus Basilides venit 5 ad eum, et consilium dedit regi, ut mitteret copias, et Eusebius filius suus iret cum eis. Sed rex Numerianus iuravit dicens: « Iuro per imperium Romanorum, Eusebium, filium tuum, non iturum solum cum copiis, nisi cum eo ibit Iustus filius meus ». Et cum sanctus Basilides audivisset a rege haec verba, vocavit 10 Theodorum Anatolium et Apatrem, et imperavit eis ut irent cum copiis ad bellum; et constituit Iustum et Eusebium imperatores super omnes copias, et recensuit eas; et eorum numerus erat ducenta et sexaginta milia equitum. Et Apater et Theodorus Anatolius incedebant ante eos. Et rex vocavit 15 Theodorum Anatolium et Apatrem, *et tradidit Iustum et Eusebium in eorum manus, et dixit eis: « Estote fortes et validi, neque timeatis; et ecce adsunt duo filii mei Iustus et Eusebius, et trado eos in manus vestras, ut incedant vobiscum pro me; tuemini eos, quia illi fratres vestri sunt ». Et rex amplexus est 20 eos, et osculatus est Iustum et Eusebium; et dixit eis: « Constantes estote, filii mei, et estote viri fortes, neque timeatis, donec viceritis hostes vestros; et cum redieritis victores ad me, in matrimonium dabo vobis duas sponsas, quarum pulchrae sunt facies ». At rex Numerianus, et sanctus Basilides, et omnes 25 gentes quae erant in urbe, salutaverunt eos, et dimiserunt eos in pace. Et sanctus Basilides mansit administrans et semper constituens negotia regni, usque ad finem unius anni. Et copiae redierunt in gaudio, cum vicissent hostes suos; nam destruxerunt totam provinciam Barbarorum, et ceperunt omnes eorum 30 divitias, et occiderunt eorum regem, et praedam ceperunt ex omnibus eorum oppidis. Et cum rex Numerianus audivisset, quod filii sui Iustus et Eusebius redierunt in gaudio cum omnibus copiis; surrexit statim, et exiit, ut obviam iret filiis suis et exercitui suo. Et Basilides etiam exiit, equitans super equum suum 35 cum rege Numeriano, et omnes duces incedebant ante eos. Et cum rex pervenisset ad copias, salutavit Iustum filium suum, et post eum Eusebium, Basilidis filium; et introduxit eos in urbem cum gaudio, dum illi vestiti erant signis victoriae. Et cum rex intravisset in regium palatium suum, fecit magnas epulas eo die

p. 8.

praefectis suis et omnibus ducibus suis. Et rex locutus est cum Basilide dicens: « Da mihi filiam tuam Rodem, ut sit uxor filii mei Iusti; et ego etiam dabo tibi filiam meam, ut sit uxor filii tui Eusebii ». Sed Basilides noluit in corde suo id negotium, et respondit ei dixitque regi Numeriano: « Possibile non est 5 mihi, ut ego quidem quidquam faciam hac de re, priusquam ego deliberavero cum eius matre, ancilla tua ». Et rex, cum audivisset haec verba, siluit, et non locutus est cum eo rursus, ut ille deliberaret cum eius matre. Et cum absolutae sunt epu-
p. 9. lae, *Basilides ivit domum suam, et rettulit ad uxorem suam, 10 quae rex locutus est secum de nuptiis. At illa noluit audire haec verba, et dixit Basilidi marito suo: « Sed ego non possum id facere; quia hic rex gentilis est, et nos christiani; et non prodest nos coniungi cum hoc rege eo modo. Sed ego septem diebus elapsis capiam filios meos, et adducam eos ad archiepi- 15 scopum abba Stephanum, ut baptizet eos sancto baptismo christiano, et sint perfecti christiani. Et nunc etiam, dilecte mi, ne dimiseris id consilium, quod cogitavit cor tuum ». Et cum sanctus Basilides audivisset haec verba uxoris suae, laetatus est valde; et miratus est eius prudentiam, et intelligentiam, et firma verba; 20 et sanctus Basilides dixit ei: « Soror mea, si cor tuum non vult hanc rem, dic mihi praetextum, quo excusationem quaeram apud regem, ne is mihi irascatur ». Et illa dixit ei: « Ne moestus fias, frater mi, neque consternatus sis, quia Christus custos noster est; evellet id consilium e corde regis, et nobis perfi- 25 ciet omnia quae volumus ». Et cum locuti essent haec verba, discesserunt ab invicem, et manserunt unusquisque in habitatione sua. Et eadem nocte apparuit sancto Basilidi visio; ecce quidam, sicut vir, vocavit eum dicens: « Basilides, cave ne matrimonio iungas filium tuum Eusebium cum filia regis; quia 30 Deus elegit filium tuum, ut sit ei fidelis servus; et non erit solus, sed etiam Iustus, filius regis, erit cum eo; quia Deus vocavit eos ad epulas Altissimi, et duas filias tuas; et hac nocte filia tua vidit quendam, sicut virum splendidum, qui stabat coram ea, et locutus est cum ea et cum matre eius, et dixit eis: 'Firmae 35 estote, mulieres, dilectae Deo; et cavete, neve timeatis ob ea quae Basilides dixit vobis de rege; quia Deus custodit animas vestras. Et ecce paravit vobis magnas coronas in regno caelorum; et ego ministravi vobis e pueritia vestra hucusque'. Et cum

haec dixisset eis, ascendit in caelos ». Et cum mane fuit, Basilides vocavit uxorem suam, et narravit ei quid in somnio vidisset; et illa etiam narravit ei quid apparuisset *sibi eadem nocte. p. 10.
Sed Basilides, cum audivisset haec verba, miratus est valde; et
5 cogitavit in corde suo, qualiter fuit visio eadem, sicut apparuit sibi. Et postea surrexit, et ivit ad domum regiam, sicut erat mos eius. Et Deus adduxit caecitatem in cor regis; et is nunquam locutus est cum Basilide de matrimonio, quia Deus custodiebat filias Basilidis in earum virginitate, donec ingrede-
10 rentur in nuptias sponsi sui immaculati Christi. Et rex Numerianus cepit uxorem filio suo e filiabus magistratus Philopatris, cum eius aetas erat duodecim annorum, cuius species erat perfecta et praesertim eius pulchritudo; et nomen eius erat Theoclia.

15 ## Caput III.

Et postea surrexit contra eos bellum a parte septentrionali, a gentibus, quae appellabantur Filasimani; et ii sunt alienigenae et praviores quam Barbari, qui pessimi sunt; et illi adversabantur Romanis. Et cum rex id audivisset, agitatum est valde
20 cor eius; et contristatus est magna tristitia ipse et omnes gentes Romae; et rex arcessivit Basilidem, et cum eo locutus est de bello inimici sui; et consenserunt ut mitterent copias quam maximas; et numerus militum fuit ducenta et quattuordecim milia equitum; et diviserunt eos in partes duas; et attribuit
25 partem unam Iusto, filio suo; et alteram partem Eusebio, filio Basilidis; et rex misit eos ad bellum multa cum potestate et maiestate. Et cum transivissent fluvium Euphraten, discesserunt in partes duas; Eusebius ivit ad provinciam Ahmestanos et Nipharon; et Iustus ivit ad fines Difarandicoras, ut dimicaret
30 cum filiis Persarum et Abrendyos. Et ingressi sunt ille et eius cohortes inter duos montes altissimos; et cum incederet cum suis copiis, invenit viros duos insidentes singulis camelis, euntes ad montes. Et Iustus iussit ut comprehenderent eos; et comprehenderunt eos, et adduxerunt eos coram illo; et Iustus dixit
35 eis: « Unde venistis, *et quo itis hoc modo? » At illi dixerunt p. 11.
ei: « Da nobis promissum te nos non occisurum esse, et nos te certiorem faciemus verbis veritatis ». Et ille promissum fecit

eis dicens: « Sed ego vos non occidam, neque male faciam vobis ». Et illi dixerunt ei: « Nos quidem, servi tui, sumus e praepositis Persarum et Abrendyos; et quia rex audivit te transisse Banicaros cum cohortibus tuis, propterea rex misit nos, ut certo sciamus, et revertamur, et ad eum referamus. 5 Et nunc iura nobis te facturum nos praefectos militum, et nos trademus regem in manus tuas ». Sed Iusto visum est eorum verba, quae illi dixerunt ei, vera esse; neque agnovit eos locutos esse secum dolose; et iuravit eis dicens: « Iuro per imperium Romanorum et eorum honorem, si vos tradideritis mihi 10 regem filiorum Persiae et Abrendyos in manus meas, collocabo vos in tertio dignitatis gradu in regno meo. Et illi incedebant ante Iustum et eius cohortes per dies duos; et adduxerunt eos in mediam partem duorum montium altissimorum. Et tunc circumvenerunt eos Persae et Abrendyos. et vi comprehen- 15 derunt eum; et vinxerunt Iustum, et adduxerunt eum ad urbem suam, et custodiri fecerunt eum in carcere domus regis. Et Eusebius, cum transiisset fluvium Euphraten, circumvenit populos Meshanos et Nipharon, gentiles. Et cum viderunt eas cohortes Romanorum qui circumvenerant eos, timuerunt valde; 20 et petierunt ab eis ut fieret pax inter se et Romanos; sed Eusebius noluit ut fieret pax inter eos et Romanos; tunc coniunxerunt se in proelio cum eis; sed gentes alienigenae firmae fuerunt et praevaluerunt eo die, et propulerunt cohortes Eusebii, donec eiecerunt eas e provincia sua; et occiderunt e cohor- 25 tibus Eusebii trecentos et triginta homines. Et cum numeravissent copias, rettulerunt ad Eusebium, et dixerunt ei: « Ecce occisi sunt e nostris trecenti et triginta homines ». Et tunc eius cor agitatum est valde. Et eodem tempore aufugerunt e cohortibus Iusti, cum vincerent eum, quadringenti homines cum quo- 30 dam duce, cui nomen erat Claudius; et venerunt ad Eusebium, p. 12. *et ei nuntiaverunt omnia quae acciderant Iusto. Et Eusebius, cum id audivisset, scidit vestes suas, et evellit capillos capitis sui, et clamavit, et ploravit amarum ploratum, et rogavit mortem ut cito veniret ad se; et vocavit omnes validos, qui erant 35 in copiis suis, et locutus est cum eis dicens: « Dicite mihi, quid faciemus, donec liberaverimus regis filium? » Et illi pactionem fecerunt cum eo dicentes: « Surge iam nobiscum, ut eamus ad provinciam Persarum, et cum eis pugnemus; atque aut nos oc-

cidemus eos, aut illi occident nos, donec ceperimus regis filium ex eorum manibus ». Et statim surrexerunt cum illo omnes fortes milites, et consenserunt cum Eusebio, et diviserunt se in partes duas; et praefecerunt parti unae Apatrem, praefectum 5 militum, et parti alterae Eusebium; et is semper moestus erat in corde suo, et aeger erat propter Iustum. Et cum gentes Persiae audivissent Romanos contra se venire, exierunt ut pugnarent cum eis; sed gentes Persiae fregerunt copias Eusebii, et ex iis occiderunt multas.

Caput IV

Et post haec, cum Cossaei audivissent gentes Persiae vicisse filium regis Romanorum et occidisse copias Eusebii, laetati sunt valde, et exsultaverunt manibus et pedibus; et visum est eis inimicos suos cecidisse in manibus suis, quia gentes Persiae 15 dabant tributum Cossaeis; et miserunt legationem ad regem Numerianum, et dixerunt ei: « Ecce populus regis Persiae vicit filium tuum et omnes eius copias, et ceperunt omnes eius divitias; et nunc etiam para te ad bellum, quia nos ibimus adversum te, et capiemus a te regnum tuum; et praedabimur 20 in tota provincia Romae ». Et cum litterae gentium Persiae pervenissent ad regem Numerianum, legit eas, et dedit sancto Basilidi ut legeret; et magnus terror supervenit regi, et sancto Basilidi, et omni populo Romanorum; et factus est in regno amarus fletus et magnus planctus. Et postea gentes Cossaeorum *et p. 13. 25 eorum copiae firmae fuerunt, et pervenerunt ad fines Romanorum, et praedatae sunt in eorum urbibus; propterea omnes gentes Romanorum consternatae sunt; et omnes congregati sunt in domum regiam, et voluerunt occidere regem, et dixerunt ei: « Surge, et vade ad bellum, et pugna cum inimicis nostris ». 30 Et cum rex vidisset Romanos insurgere adversum se, et populum Cossaeorum firmum esse ad bellum gerendum contra se; vocavit sanctum Basilidem, et Eudocium, et Hermanum, et locutus est cum eis dicens: « Ecce ego, et qui superfuerunt e cohortibus, ibimus, et bellum geremus cum gentibus Cossaeorum; 35 et vos manete, ut custodiatis domum regiam. Et ecce duas filias meas vobis trado in manus vestras; custodite eas sicut filias vestras. Et tu, Basilides, scis quod filii tui filii mei sunt, et filii

mei filii tui sunt; et ecce vicerunt filium meum et filium tuum; et nescimus utrum ab eis occisi sint an vivi sint. Et ecce ego eo ad bellum; et si ego salvus rediero, agam negotia regni; et si acciderit mihi aliud, et mortuus ero, sicut omnes homines, neque rediero, custodi, neque matrimonio iungas filias meas 5 cum viris alienis, sed cum cognatis tuis. Et mihi non sunt filii praeter Iustum: et ecce ille defuit; et eae filiae meae supererunt mihi! ». Et cum rex haec dixisset, exiit ipse et duces eius, ut irent ad bellum. Et insurrexerunt adversum eum omnes gentes Cossaeorum, quia multi erant valde. Et cum gentes 10 Romanorum eos viderunt, timuerunt, et diffugerunt statim alius alio. Et cum rex vidisset qualiter populus Romanorum timuerit et fugerit a gentibus Cossaeorum, obstupuit cor eius, et quaesivit mortem sibimet ipsi; et statim exuit vestes regias suas, et dimisit regiam coronam suam e capite suo; et induit vestes 15 humiles, ut nemo agnosceret eum. Et populus Romanorum fugiebat e conspectu populi Cossaeorum; et ii expellebant eos; et unus ex cohortibus regis Cossaeorum convertit cor suum ad regem Romanorum, et transfixit eum hasta; et ille cecidit con-
p. 14. tinuo, et tradidit spiritum suum; *et Cossaei nescierunt eum 20 regem esse. Et cum finitum est bellum, mansit regnum Romanorum sine rege annum plenum; et Basilides et Hermanus custodiebant regnum, et perficiebant eius negotia. Et cum gentes Cossaeorum audiverunt regnum Romanorum sine rege esse, voluerunt potestatem habere super regnum Romanorum; et mise- 25 runt ad eos legationem, ut illico se pararent ad bellum. Sed magistratus Romanorum et eorum populus fuerunt in magna angustia et fletu; et omnes congregati sunt apud Basilidem in domo regia, et deliberaverunt cum eo de iis rebus; et dixerunt ei: « Quid faciemus propter id bellum pravum populi Cossaeorum? » Et ille 30 dixit eis: « Mittamus ad urbes quae sunt sub nostra potestate, et ad totam terram Aegypti, ut comprehendant viros strenuos et validos corporibus, et veniant, et adiuvent nos in bello ». Et miserunt duces ad provinciam Aegypti, et cum iis quemdam iudicem, et voluerunt comprehendere centum milia hominum; 35 et comprehenderunt multos viros strenuos et validos e terra Aegypti, qui apti erant ad bellum; et fuit in numero eorum qui comprehensi sunt, vir quidam, cui nomen erat Agripada, ex Aegypto inferiore; et erat orphanus; cum custodiret capras, inve-

nerunt et adduxerunt eum, cum iis quos comprehenderunt, ad urbem Antiochiam; et Basilides excepit eum, et constituit eum super equile. Et cum vidissent eum validum corpore, et eius aspectum verendum, et validum formidine, Basilides et Hermanus ce-
5 perunt eum, et constituerunt eum ut sit summus super equos domus regiae. Et paucis diebus post, filia regis, quae maxima erat, oculos convertit in eum e fenestra domus regiae; et vidit eum, et cupivit eum, quia Satan secutus erat eum ab eius pueritia; et illa cepit eum, et nupsit ei, et regem constituit eum; et
10 appellavit eum nomine Diocletianum; neque sensit id Basilides, frater eius matris; et Satan habitavit in Diocletiano, et locutus est cum illo ore ad os. Postea Diocletianus vocavit Basilidem, et locutus est cum eo de negotiis regni. Postea congregavit cohortes ad bellum, et erant multi admodum; et erat numerus eorum vicies
15 centum milia; et ea die fuit magnum proelium; et Theodorus Anatolius erat caput super duces. Et rex Diocletianus profectus est *cum illis ad bellum; et reliquit Basilidem et Hermanum administros negotiorum regni. Et in diebus illis requievit abba Stephanus, archiepiscopus urbis Antiochiae; et pro eo consti-
20 tuerunt alium, cui nomen erat Acacius. Et tunc cohortes pugnaverunt inter se, et permanserunt per multos dies in bello; et tunc firmum fuit bellum inter illos; et Theodorus Anatolius praevaluit supra duces Cossaeorum, et occidit equum in quo vehebatur filius regis Cossaeorum, et arripuit eum capillis eius
25 capitis, et adduxit eum ad regem Diocletianum. Et cum rex eum vidisset, laetatus est valde; sed gentes Cossaeorum converterunt facies suas retrorsum, et fugerunt; et cohortes Cossaeorum dispersae sunt. Et rex Diocletianus rediit ad urbem Antiochiam magna cum laetitia; et laetati sunt omnes duces et
30 gentes urbis. Postea rex Diocletianus vocavit archiepiscopum Acacium, et tradidit ei Nicomedem, filium regis Cossaeorum, et dixit ei: « Custodi mihi hunc iuvenem usque ad diem quo a te eum requiram ». Post haec, rex Cossaeorum inquirebat de filio suo; et rettulerunt ei illum habitare apud archiepiscopum;
35 et laetatus est valde. Tunc misit legationem ad archiepiscopum, et dixit ei: « Si tu miseris mihi filium meum, et poposceris a me etiam dimidium regni mei, ego id dabo tibi ». Et archiepiscopus misit legationem ad regem Cossaeorum, et dixit ei: « Si tu miseris mihi aurum in trutina, quod aequet pondus filii

p. 15.

tui; ego tibi mittam eum ». At rex Cossaeorum, cum haec audivisset, laetatus est valde; et misit ad archiepiscopum multa dona aurea, quae aequabant pondus filii sui; et archiepiscopus exire fecit nocte filium regis Cossaeorum, et misit eum ad eius patrem. Et cum rex Cossaeorum vidisset filium suum, laetatus 5 est valde, et corroboratum est cor eius, et rugivit sicut leo; et deliberavit cum magistratibus suis, an gererent bellum cum Romanis, et occiderent eorum regem, et expugnarent totum eorum regnum; et inter se colloquebantur dicentes: « Nonne nos occidimus regem Numerianum? » Et cum firmum fuisset con- 10 silium inter eos, scripserunt epistolam et miserunt eam ad re-
p. 16. gem Diocletianum, sic dicentes: « Para te ad bellum; *quia ecce veniemus contra te sicut locustae, quae innumerabiles sunt ». Et cum rex Diocletianus legisset hanc epistolam, iratus est valde; et ad archiepiscopum misit nuncium dicentem: « Filius regis 15 Cossaeorum, quem dedi tibi, ut custodires eum, estne apud te usque ad hoc tempus, an non est? » Et archiepiscopus dixit ei: « Certo, ecce manet apud me usque ad hoc tempus ». Et rex dixit ei: « Custodi eum, donec eum recipiam a te ». Et rursus rex vocavit Basilidem, praefectum militum, et Theodorum Ana- 20 tolium; et locutus est cum eis, ut pararent cohortes ad bellum. Et Basilides numeravit milites; et erant vicies quater centum milia; et tradidit eos in manu Theodori, ut esset caput supra eos. Et rex Diocletianus ivit cum eis ad bellum; et fuit firmus corde sicut leo, quia Satan in eo habitabat. Et erant milites 25 sicut arena maris; et sederunt in loco, cui nomen erat Arofon, et idem est, in quo fuit antea magnum praelium cum Numeriano. Et cum steterunt ex adverso inter sese ad praelium, rex Diocletianus respexit et vidit Nicomedem, filium regis Cossaeorum; et rex vocavit Theodorum Anatolium, et dixit ei: « Nonne 30 ille est Nicomedes, filius regis Cossaeorum? » Respondit Theodorus, et dixit ei: « Certo est eius species ». Et rex dixit ei: « Firmus esto ad bellum pulchrum, possibile ne est tibi capere eum vivum, et huc adducere eum? Iuro per regnum Romanorum, si tu vivum eum captum adduxeris, ego ponam in ca- 35 pite tuo coronam auream, et collare aureum in collo tuo; et dabo tibi tria talenta auri; et tibi matrimonio coniungam filiam Basilidis ». Et cum Theodorus audivisset haec verba, dixit regi: « Quid faciam de divitiis aut uxore, post Iustum et Eusebium,

fratres meos, si forte vivi non sint? » Tunc praefectus militum, strenuus, Theodorus Anatolius, cepit viros strenuos et validos; et imperavit eis ut adstarent ad suam dextram et ad suam sinistram tempore praelii; et excitavit praelium contra filium
5 regis Cossaeorum; et Theodorus firmus fuit, et irrupit in medios Cossaeos; et prehendit capillis capitis filium regis Cossaeorum, et adduxit eum ad Diocletianum. Et is, cum vidisset eum, laetatus est *valde; et dixit ei: « Num tu es Nicomedes? » Et p. 17. is dixit ei: « Sane, ego sum ». Et rex imperavit omnibus magi-
10 stratibus suis, ne cuiquam id dicerent. Et cum bellum submotum est ab eis, ingressi sunt Antiochiam urbem regiam. Et rex vocavit Basilidem, et narravit ei omnia, quae fecerat archiepiscopus; et quemadmodum acceperat aurum a rege Cossaeorum, et remiserat ei eius filium Nicomedem. Post haec, rex
15 tradidit Nicomedem in potestatem Basilidis, ut eum custodiret; et duxit eum domum suam, et eum custodivit apud se. Et rex vocavit archiepiscopum, et dixit ei: « Adduc ad me filium regis Cossaeorum, quem iussi a te custodiri, ut ego tradam eum eius patri, quia ego me reconciliavi cum eo ». Et archiepiscopus dixit
20 ei: « Filius regis Cossaeorum mortuus est apud me; et ecce eius corpus est apud me domi meae; et ego custodiri id feci, donec id repeteres a me ». Et rex dixit ei: « Adduc ad me eius corpus ». Et archiepiscopus apportavit corpus alius mortui, et dixit ei: « Ecce Nicomedes, filius regis Cossaeorum ». Et rex dixit
25 archiepiscopo: « Volo ut hodie administres eucharistiam, et nobis des corpus et sanguinem Christi; et benedicas nobis, mihi et omni populo, quia transierunt multi dies, ex quo eucharistiam accepimus ». Et archiepiscopus disposuit, et consecravit eucharistiam in ecclesia sancta; et cum pervenisset tempus accipiendi
30 eucharistiam, rex venit ut communicaret; et rex dixit archiepiscopo: « Ego volo ut mihi iures id esse corpus Nicomedis filii regis Cossaeorum, quem iussi a te custodiri ». Et archiepiscopus iuravit ei his verbis: « Hoc est corpus Nicomedis, filii regis Cossaeorum ». Et cum rex vidisset, quod archiepiscopus iuravit cum
35 mendacio per altare Dei, et per corpus et gloriosum sanguinem Christi, et quod ignis non descendit e caelo, ut combureret eum, rex dixit Basilidi: « Affer ad me depositum quod dedi tibi hucusque ». Et Basilides misit domum suam, et adduxit filium regis Cossaeorum. Et rex dixit archiepiscopo: « Cur iuravisti

mihi hoc esse corpus Nicomedis, filii regis Cossaeorum? Et nunc cognoscis quis adsit coram te? » Et cum archiepiscopus vidisset Nicomedem, filium regis Cossaeorum, timuit *valde, et nescivit quid dicat. Et rex imperavit Nicomedi, ut diceret coram populo, quomodo fuerunt suae res gestae. Et Nicomedes dixit: « Pater meus vere misit multum aurum ad archiepiscopum, et is remisit me ad patrem meum ». Et post haec rex iussit ut susciperent omne aurum, quod invenerunt in domo archiepiscopi, quia ille iuravit cum mendacio; et liquaverunt igne, et infuderunt illud in eius os, et eum combusserunt igne, dum vivus erat. Et rex Diocletianus iuravit dicens: « Quia ignis non descendit e caelo, neque combussit archiepiscopum, qui iuravit cum mendacio per corpus et sanguinem Christi, ego non credo in illum inde ab hoc tempore ».

p. 18.

Caput V.

Tunc rex Diocletianus iussit ut clauderent ecclesias christianas, et aperirent templa idolorum; et scripsit epistulam ad omnes provincias dicens: « Ego sum rex Diocletianus, qui impero; scripsi per vim potestatis regni mei ad omnes urbes, et pagos, et loca, quae sola sunt, ut diruant ecclesias christianas, et aedificent templa idolorum, et adorent deos in eis; ii dederunt mihi virtutem in bello; et ita sunt eorum nomina: Apollo, et Baal, et Zeus, et Artemis, et reliqui omnes ex deis. Hanc epistulam signavi in palatio regni mei; et misi eam e provincia Romae, ut perveniat ad urbem Philae fines ditionis Nigritarum ». Et dixit in eadem epistula: « Sive praepositus, vel iudex, vel praeses, vel episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel subdiaconus, vel anagnostes, vel psaltes, vel monachus, vel vir, vel femina, vel servus, vel liber, vel qui magnus est, vel qui parvus est, et omnes gentes, quibus recitabitur haec epistula, statim sacrificent deis et eos adorent; et quicumque non audiat neque adoret eos, ego iubeo ut eum crucient magna et gravi poena, igne, et aqua, et pravis bestiis; et post haec abscindant gladio eius caput. Hanc epistulam *mitto ad omnes fines terrae ». Et rex iussit ut sumerent omne aurum quod inventum est in domo archiepiscopi, et ex eo facerent septuaginta idola, quinque et triginta deos figura virili, et quinque et triginta figura mulie-

p. 19.

bri; et iussit ut ea erigerent in praetorio, ad maximam portam urbis, ut ea adorarent et eis sacrificarent. Et rex iussit, et dixit: « Quicumque non adoraverit deos, comburant eum vivum igne, et diripiant omnes divitias eius, et domum eius, et omnes
5 e domo eius ». Et iussit ut praeco circumiret magna cum voce, et diceret: « Ego certiores facio vos, et dico vobis omnibus qui estis in urbe Antiochia, praepositis et praefectis militum, iudicibus et optimatibus, viris et feminis, servis et liberis, parvis et magnis, ut congregemini iuxta maximam portam urbis,
10 ad colendos deos regis, et sacrificandum eis; et quicumque non audiverit, et non adorabit eos, morietur morte mala ». Et propter haec congregati sunt multi populi iuxta magnam portam urbis cum pavore et agitatione, primo die mensis miyazia; et contra eos fuit magna persecutio. Et tunc rex primo cecidit in
15 terram, et adoravit idola impura; et implevit mensuram turis, et iecit idolis; et cogitabat in corde suo Basilidem adoraturum post se. Sed sanctus Basilides, cum videret regem adorare idola, obstupuit eius cor, et avertit se pone gentes, et sedit; sed Hermanus, praefectus militum, adoravit post regem; et post eum
20 Qalandyos, et omnes primores. Et tunc adoraverunt idola centum et nonaginta praepositi, et quadraginta milia militum, qui omnes adoraverunt deos coram rege; et post haec adoraverunt omnes reliqui populi. Et facta est magna persecutio, et pavor per totam terram, sed praesertim contra filios ecclesiae chri-
25 stianae et contra omnes qui credebant in Christum. Propterea effundi fecit multorum sanguinem absque peccato; et multi facti sunt martyres per totam terram. Et rex non locutus est cum sancto Basilide de adorandis idolis, quia is moestus erat propter Eusebium filium suum et propter Iustum filium sororis suae.

30 ## *Caput VI. p. 20.

Post haec, Eusebius et Claudius et Apater pugnabant in omnes gentes Persiae, et contra omnes gentiles qui erant in oppidis. Sed Iustus, regis filius, erat in domo regis Persiae, ubi custodiebatur cum omnibus eius ducibus; et illi custodiebant
35 Iustum donec sacrificarent eum idolis. Et annis duobus et sex mensibus post, cum Eusebius esset in bello, ecce angelus Dei apparuit ei in somno, et dixit ei: « Eusebi, Basilidis fili, surge

e somno tuo, ut tibi declarem quae Deus imperavit tibi ». Et Eusebius experrectus est timens; et cum vidisset splendorem angeli, cecidit in faciem suam super terram. Et tunc angelus Dei extulit eum, et dixit ei: « Eusebi, constans esto, quia rex regum Iesus Christus vult te liberare ex consternatione et cap- 5 tivitate; et si Deus liberaverit te, et tradiderit gentes Persiae in manus tuas, et omnes eorum copias, eris illi servus fidelis, et eris martyr propter eius nomen sanctum ». Et Eusebius respondit, et dixit ei: « Quis es tu, domine mi, tu in hoc tanto honore, et facies tua est plena gaudii? » Et angelus Dei re- 10 spondit ei, et dixit ei: « Ego sum Michael, qui adsum ad Dei dextram; ego sum Michael nuncius pacis; ego sum Michael, qui liberavi Basilidem, patrem tuum, ab omni angustia; ego sum Michael, qui audivi orationem Basilidis, patris tui, cum ille rogabat pro te et pro Iusto; et ecce veni ut vos liberem, et 15 brevi tempore tradam hos populos in manus vestras. Et si deleveritis provinciam gentilium, custodite vos, neque credatis in alium Deum, nisi Iesum Christum, Dominum vestrum Christianorum, quem colebant patres vestri. Et in his diebus venient in te gentes Persiae, et pugnabunt cum gentibus Romae; et 20 p. 21. ego adero tibi, et eos tradam in manus tuas. *Custodite vos, neque timeatis, et ego faciam, ut equus regis Persiae implicatus sit, et rex cadat pone eum, et contundatur; et tu comprehende eum, et vinci eum. Esto firmus et validus, et intra in urbem occulte; et ego incedam tecum, et ducam te, et exire 25 facies Iustum e loco in quo est. Et nunc etiam laetus esto; ego ibo ad Iustum, et referam ad eum haec verba ». Et angelus Dei ivit ad Iustum, et corroboravit eius cor, ut esset martyr propter Christum. Et cum Eusebius sensisset angelum Dei esse eum qui apparuit ei, vocavit Claudium et Apatrem, et narra- 30 vit eis omnia quae dixerat ei angelus Dei. Et tunc surrexerunt hi tres, et adoraverunt Deum ter; et iuraverunt inter se coram Deo dicentes: « Si Deus clementem se praebuerit nobis et tradiderit in manus nostras gentes Persiae, nos moriemur propter nomen Domini nostri Iesu Christi, et in nomine Dei redibimus, 35 et iis adversabimur; et non dubitabimus inde ab hoc tempore, sed credemus quod Deus tradet inimicum nostrum in manus nostras ». Et matutino tempore, rex Persarum imperavit ut canerent tubis, et pugnarent cum Eusebio; et Eusebius etiam

imperavit ducibus suis ut canerent tubis, et pugnarent cum gentibus Persiae. Et tunc venerunt populi Persiae, et erant numerosi sicut locustae; et Eusebius quidem, et eius cohortes, erant sicut ille qui nihil habet ante oculos suos. Et
5 Eusebius sustulit oculos suos ad caelum, et dixit: « Deus Basilidis, patris mei, qui misisti mihi angelum tuum hac nocte, da mihi virtutem, ut ego vincam gentes Persiae, et laudetur nomen tuum sanctum ». Et statim Deus aperuit oculos eius; et Eusebius vidit Michaelem, angelum Dei, quem viderat antea
10 per noctem, et erat in manu eius dextra gladius acutus, et ille occidebat copias Persiae. Et cum Eusebius vidisset eum, laetatus est, et eius cor firmum fuit. Et insiluit super equum suum, in quo vehi solebat, et irruit in medium populum Persiae, et ex iis occidit multa milia, quae non numerabantur.
15 Et rex *Persiae voluit fugere; et cum illo cecidit eius equus, in quo vehebatur; et rex cecidit pone equum. Et Eusebius imperavit servis suis ut comprehenderent eum, et vincirent eum, et custodirent eum. Et Eusebius occidebat gladio adversarios suos; et ii fugiebant e conspectu eius, et nesciebant quo
20 fugerent. Et illi quadringenti homines qui liberati erant, ex cohortibus Iusti, comprehenderunt viros duos ex gente Persiae; et torserunt eos, et posuerunt eos ante se, donec illi adduxerint ipsos ad locum in quo Iustus erat carcere inclusus. Et mox fregerunt fores, et exire fecerunt eos, dum sunt vincti
25 ferreis catenis, et adduxerunt eos ad Eusebium. Et cum Eusebius vidisset Iustum, amplexus est eum et osculatus est eum, et ploravit amaro fletu; et imperavit ut solverent eum e catenis ferreis, quibus erat vinctus; et iisdem catenis imperavit ut vincirent regem Persiae; et fuit magna caedes in populo
30 Persiae; et deleverunt eos; et ex iis captivos fecerunt multos, et ceperunt eorum aurum, et eorum argentum, et omnes eorum divitias. Et post haec fixerunt tentoria sua extra urbem; et venerunt servi Iusti, quos vinxerant gentes Persiae, et ceciderunt supra terram, et adoraverunt Eusebium et Iustum;
35 et Eusebius dixit eis: « Laudate Deum, qui liberavit vos ex manibus adversariorum vestrorum, et liberavit vos a servitute gentis Persiae et eorum oppressione amara ». Et post haec Iustus dixit Eusebio: « Benedictus sit Deus, Pater omnipotens, qui misit angelum suum et liberavit nos e manibus gentium Per-

p. 22.

siae ». Et Eusebius dixit Iusto: « Frater mi, si Deus ostenderit mihi faciem Basilidis, patris mei, ego quidem non derelinquam Iesum Christum, Dominum meum, in quem ego credo. Vivus est Deus, frater mi, ut ego promisi Domino caeli et terrae, et angelo qui venit ad me, et nuntiavit mihi de te, et dixit 5 mihi: 'Ego ibo, et delebo gentes Persiae, et liberabo Iustum'. Et ego etiam dixi ei: 'Si Dominus meus Iesus Christus tradet populum Persiae in manus meas, et ego viderim faciem Iusti, fratris mei, iterum, dum est vivus, ego quidem non colam alium p. 23. deum, nisi Iesum Christum, *Dominum meum, Deum Basilidis, 10 patris mei; et servabo ei virginitatem meam' ». Et cum Iustus audivisset haec verba, laetatus est valde; et dixit Eusebio: « Laus sit gratiae Dei, qui liberavit nos e manibus huius populi gentilis et pravi; qui misit ad me angelum suum, et liberavit me, et dixit mihi: 'Ecce ivi ad Eusebium, fratrem 15 tuum; et dixit mihi, quod tu iuraveras ei, te effusurum sanguinem tuum propter nomen Christi'. Et nunc etiam, frater mi dilecte, morte qua tu morieris ego etiam moriar tecum ». Et uterque firmaverunt inter se hoc pactum. Et post haec permanserunt per annos duos, dum praedam faciebant in oppidis 20 Persiae et Abrendyos; et miserunt captivos quos ceperant ad urbem Antiochiam. Et fuit magnum gaudium in urbe Romanorum, praesertim in domo sancti Basilidis.

Et post haec surrexerunt Iustus et Eusebius, et eorum cohortes, ut irent ad bellum *adversum populos* Persiae et Fertanos, 25 et reliquos populos e terra Persiae. Et cum illic pervenissent, captivos fecerunt omnes gentiles, et transierunt alio itinere in regionem cui nomen erat Daryos et Saflatu; et comprehenderunt regem eiusdem provinciae, et in ea ceperunt captivos valde multos. Et Dominus Deus fecit ut populi Persiae, et Abren- 30 dyos, et Fertanos, essent servi Romanorum usque ad hoc tempus.

Et cum fuit annus quintus regni Diocletiani, septimo mense, pervenit fama ad urbem Antiochiam quod Iustus, filius regis Numeriani, et Eusebius, filius sancti Basilidis, et Claudius et Apater, magni praefecti militum, ecce veniunt nunc ad urbem 35 Antiochiam magna laetitia; et fuit in urbe Antiochia magna laetitia et gaudium, praesertim in domo regia. Et cum Diocletianus audivisset hanc famam, moestus fuit valde, quia sciebat quod regnum erat Iusti. Et sanctus Basilides, praefectus mili-

tum, non amabat omnia quae Diocletianus faciebat, neque unquam comedebat cum illo ex eo tempore quo adoravit idola et reliquit Deum caeli e terrae. Et Diocletianus locutus est Hermano, amico suo, ut consilium sibi daret de iis quae fa-
5 ceret. Et sanctus Basilides erat eodem tempore domi suae; et Hermanus dixit *regi: « Nescisne quod sanctus Basilides caput p. 24. regni est? Et ille moestus est propter Iustum, filium eius sororis, quia regnum illius est; et ego adiuvabo te in negotio regni ». Et rex dixit ei: « Consilium da mihi de iis quae fa-
10 ciam; quia obstupuit cor meum, et advenit mihi magna tristitia, nam strenui sunt omnes domus regiae viri e familia eorum ». Et Hermanus consilium dedit regi dicens: « Fac convivium praefectis militum, et loquere omnibus, et dic eis: 'Rex Cossaeorum misit legationem ad me, quaerens reconciliationem, et dixit
15 in epistula sua: Nos et vos effudimus multum sanguinem, et pugnavimus simul cum rege Numeriano, quia ille maledixit deis nostris et populo nostro; et cum scivimus quod tu rex factus es in regno Romanorum, ecce magistratus nostri adorant te, quia fides tua est fides nostra, et dei tui sunt dei
20 nostri. Et ex hoc tempore quidem non sit bellum inter te et nos, sed salus, et pax, et concordia. Sed quoad Iustum, filium regis Numeriani, quem vincerunt gentes Persiae, si inveniremus eum rursus, non erit inter nos et illum reconciliatio, sed bellum usque ad mortem' ». Et cum rex audivisset hoc consilium ab Her-
25 mano, laetatus est valde. Et postridie fecit convivium strenuis militum, et eorum praefectis, et adduxit eos ut cenarent. Et postquam cenaverunt, adferri curavit rex eandem epistulam per quendam legatum, et in ea erant scripta omnia consilia quae Hermanus dederat Diocletiano; et rex imperavit ut praeco cir-
30 cumiret, et omnes viri venirent ad audiendam epistulam regis Cossaeorum. Et omnes duces et magistratus congregati sunt in domum regiam; et sanctus Basilides non venit in tempore legendi eam epistulam mendacem. Et rex misit nuncium ad sanctum Basilidem qui dicat: « Infirma cor tuum, et veni ut
35 audias epistulam regis Cossaeorum ». Et sanctus Basilides etiam misit nuncium ad regem Diocletianum qui dicat: « Sed nihil est quidem mihi cum rege qui reliquit Deum creatorem suum, et adoravit deos impuros ». Et cum rex Diocletianus audivisset haec verba, erubuit magno rubore, quod ille transgressus est

p. 25. *iussum suum, et abominatus est eum coram omnibus magistratibus suis. Et post haec rex misit ad eum tres praefectos militum, Charistum, et Lucianum, et Sophronium; hi tres erant magni in domo regia, et honorati iuxta regem; et hi pervenerunt ad sanctum Basilidem, et dixerunt ei: « Domine noster, 5 qui es maximus praefectus militum in urbe Antiochia, ecce rex Diocletianus vocavit te, ut audias epistulam regis Cossaeorum ». Et sanctus Basilides dixit eis: « Dicite isti apostatae: 'Nihil erit tibi mecum ex hac hora, quia tu abnegasti Deum caeli et terrae et coluisti idola' ». Et iidem praefecti militum redierunt ad re- 10 gem, et rettulerunt ei haec verba. Et cum rex audivisset, timuit et obstupuit; et post haec rex dixit ei qui legebat eandem epistulam: « Cum perlegeris eam, fer eam ad domum sancti Basilidis, et lege eam coram illo ». Et epistulam tulit, et legit eam; sed ille qui legit eam, erat Victor, filius Hermani, praefecti 15 militum. Et cum legisset eandem epistulam coram omnibus ducibus, in qua scripta erant omnia consilia quae Hermanus dederat regi, populus quidem, qui colebat idola, clamavit dicens: « Vivus sis tu, domine noster et rex noster Diocletiane, et firmum sit regnum tuum; et quicumque non audiverit epistulam 20 tuam, continuo moriatur, et diripiatur eius domus et omnes eius divitiae ». Et cum rex audivisset haec verba, laetatum est eius cor; et imperavit ut afferrent ad se idola sua, et offerrent eis sacrificium. Et tunc rex misit Victorem, praefectum militum, et cum eo epistulam ad domum sancti Basilidis; et legit eam co- 25 ram illo. Et cum sanctus Basilides audivisset eandem epistulam, cognovit eam esse consilium Hermani, quod is dederat regi; et sanctus Basilides dixit Victori: « Forsitan consentit cor tuum cum patre tuo in iis facinoribus, quae facit? » Et Victor respondit ei, et dixit ei: « Comburat Deus patrem meum, et 30 Diocletianum, et eius deos igne in gehenna; et vivere faciat te ipsum, domine mi, sancte Basilides; ex quo tempore desierunt pater meus et Diocletianus colere Christum, ego non comedi cum rege neque cum patre meo, et nescivi eorum consilium. p. 26. Et nunc pater meus *et rex Diocletianus coegerunt me, et di- 35 xerunt mihi: 'Fer hanc epistulam, et lege eam coram sancto Basilide'; et nunc etiam, pater mi, Deus liberet animas nostras ab hac transgressione ». Et sanctus Basilides dixit Victori: « Cave, fili mi, ne quis decipiat te verbis vanis patris tui, et

verbis huius regis rebellis, neve relinquas rectam fidem Christi ». Et cum Victor audivisset haec verba, dixit ei: « Vae mihi, pater mi dilecte, quod ego peccavi; quia omnes iuvenes, amicos meos, patres eorum non docent servare fidem Christi. Et ego
5 pauper sum; pater meus dixit mihi: ' Ne recorderis in ore tuo nomen Christi' ». Et sanctus Basilides consolatus est eum, et dixit ei: « Constans esto, fili mi, quia Christus vocabit te ad domum convivii spiritalis in caelis ». Et sanctus Basilides dixit sorori suae reginae, matri Iusti: « Ne credas haec verba, quae
10 fecit Hermanus ». Et facta est magna angustia in facie terrae per omnes provincias regni Diocletiani; et multi viri veniebant ad praetorium, et effundebant sanguinem suum propter nomen Christi, Domini nostri. Sed sanctus Basilides non invenit tempus quod optabat, quia expectabat Iustum et Eusebium filium suum;
15 et orabat ad Deum nocte et die, ut consummaret ei haec, et fieret martyr, et laboraret propter nomen Christi, et effunderet sanguinem suum propter eius nomen benedictum. Et cum sanctus Basilides vigilaret nocte, et id oraret, erat magnus terror et multus ploratus in eius corde, et cupiebat martyr fieri.

20

Caput VII.

Et ecce angelus Dei apparuit ei in eius somno; et sua facies erat plena laetitiae, et dixit ei sexies: « Salutem tibi, Basilides, praefecte militum Christi; laetus esto, Basilides, quia nomen tuum scripserunt in Hierusalem caelesti. Salutem tibi, Basilides,
25 quia sacrificium tuum pervenit ad thronum Dei; laetus esto, Basilides, quia tu eris caput praefectorum militum in caelis, sicut tu es nunc super *terram. Salutem tibi, Basilides, quia scripserunt nomen tuum et nomen cognatorum tuorum in ecclesia christiana primogenita in regno caelorum; laetus esto, Basilides,
30 quia aedificaverunt tibi domum in caelis spatio annorum trium. Salutem tibi, Basilides, quia attulerunt arcem tuam et arcem Iusti et palatia uniuscuiusque ex filiis tuis, sicut arcem regis Davidis, in caelis. Salutem tibi, Basilides, quia nexerunt coronam tuam lapidibus pretiosis, gemma margaritae, in urbe Agni Dei. Con-
35 stans esto; ecce ego ero tecum. Ego sum archangelus Michael, qui adfui tecum a iuventute tua usque ad id tempus, et liberavi te ab omnibus angustiis. Et etiam ego sum qui libe-

p. 27.

ravi Iustum filium sororis tuae, et Eusebium filium tuum, et exire feci eos e manibus gentium Persiae. Et adhuc ego sum qui obfirmavi Eusebium filium tuum, donec occidit adversarios suos. Surge nunc etiam, ut ego ferrem te super alas meas et sursum ducam te in caelos ad regem meum Iesum Christum, 5 ut ostendat tibi, et certiorem te faciat de omnibus quae advenient tibi et de omnibus quae facient contra te ». Et mox Michael exuit ab eo timorem; et tulit eum super alas suas refulgentes; et ascendere fecit eum ad tertium caelum, et collocavit eum coram Christo; et Salvator salutavit eum, et consolatus est eum, 10 et dixit ei: « Constans esto, Basilides, neque timeas, quia ego ero tecum in omni tempore. Ego dico tibi verba quae non mentita sunt; honoravi te valde, sicut Davidem filium Iesse, et paravi tibi maius palatium. Et nunc etiam, ecce propinquum est tempus certaminis tui et simul Eusebii et Macarii, filiorum tuo- 15 rum, et Iusti, filii regis et filii sororis tuae. Et ecce rogavi Patrem meum pro eis, ut omnes martyres sint, et nullus e familia tua colat idola, neque vir neque femina; quia ecce ego vocavi eos ad convivium meum regni caelorum. Et post eos martyres erunt Apater et Irene eius soror; et post eum Victor, 20 Hermani filius; et post eum Theodorus Anatolius; et post eum p. 28. Leontius et Panicyrus, et omnes eius sodales; *et post eos Sisinnius, Sosipatris filius, filii sororis patris tui; et post eum Claudius, Ptolemaei filius, filii sororis matris tuae, cuius rex faciem spectabat omni tempore; et post eum tu, et Eusebius 25 et Macarius, filii tui, et duae filiae tuae, et utraeque sorores earum; et deinde Iustus et Aboli, eius filius, et Theoclia eius uxor, et Palaestrania et Stephana, filiae Sedaciani, magni sacerdotis urbis Antiochiae; quia illi virgines sunt puri, et nunquam uxores duxerunt; et illi clam colebant me, omni eorum 30 corde, et dabant eleemosynas multas pauperibus et egenis propter nomen meum. Vivus est Pater meus et Spiritus Sanctus! quemadmodum palatium tuum est magnum et excelsum super terram in medio familiae tuae, eodem modo faciam ut palatium tuum excelsum sit magis quam illorum in caelis, cum sit 35 constructum ex auro, et argento, et gemmis, et margaritis. Audi quae tibi dico, quod hic rebellis rex cogitavit facere omnia quae voluerit. Ecce Eusebii filii tui, et Iusti filii sororis tuae, tempus venit revertendi ad te; et post quinque menses perve-

nient ad te, et cum eis signa victoriae et laetitiae. Et is rex apostata comprehendet omnes duces, qui cum eis erunt, et eis dicet: 'Facite sacrificium deis, antequam ingrederemini in urbem'. Sed illi non audient eius iussum; et ille irascetur eis,
5 et imperabit ut abscindantur eorum colla acie gladii. Sed adversarius bonorum, qui est Satan, irascetur tibi; et clamabit coram regibus apostatis, dicens: 'Reges, illi viri quos occidistis non sunt in culpa; quia eorum sanguis est super caput Basilidis, et Iusti, et Eusebii, et Claudii, et Apatris, et Theodori Anatolii,
10 quia hi non audiverunt iussum vestrum neque epistulam vestram; et non fecerunt sacrificium deis vestris. Etiam dicebant in eorum cordibus: Regnum est nobis; quod voluerimus faciemus; quia hic rex est alienus, et genere aegyptius; et non audiemus eius iussum; neque sinemus eum *quidquam facere, p. 29.
15 nisi iussum nostrum. Et ecce Victor, Hermani filius, est uno corde cum eis, et sacrificium facit cum eis in domo diaconi Philosophronii'. Et Hermanus dicet regi: 'Si volueris, omnes fines terrae audient verba tua, et tibi obediunt, et erunt sub potestate tua. Eiice eos omnes quorum nomina dixi tibi; quia hi
20 primores regni sunt; interfice eos gladio; et propter hoc firmum erit regnum tuum super illos'. Haec dicet Satan regi propter te et propter familiam tuam. Et postea eiicient te cum unoquoque ex vestris ad loca quae ille vobis paravit. Constans esto, neque timeas, quia ego ero tecum et cum familia tua;
25 neque discedam a vobis in ullo loco ad quem ducant vos. Vere dico tibi, sancte Basilides, electe et dilecte mi, quod ego faciam nomen tuum honoratum per totum mundum maiore honore quam honor tuus qui est in terra. Et quicumque aedificabit martyrium in nomine tuo, ego aedificabo ei domum in caelis in
30 regno meo. Et qui scribi faciet librum certaminis martyrii tui et laboris quem tulisti propter nomen meum, ego iuro per me ipsum, sancte Basilides, dilecte mi, quod ego discindam librum eius peccatorum, et non videbit inferna usque in aeternum. Et quicumque vestiet nudum in nomine tuo, ego vestiam eius ani-
35 mam veste pulchra caelesti. Et qui dederit cibum uni famelico in nomine tuo, ego faciam eum comedere cibum vitae, qui est in paradiso. Et qui potum dederit sitienti in nomine tuo, ego faciam eum bibere calicem aquae vitae. Et quicumque vir rogaverit me in nomine tuo in quacumque sua angustia, et di-

xerit: 'Deus sancti Basilidis libera me'; statim ego audiam eum, et liberabo eum ab omni angustia. Et qui manebunt in navibus quae eunt per mare, si rogaverint me in nomine tuo, ego ducam eos, et pervenire eos faciam ad portum salutis. Et quaecumque femina, cui difficile erit parere, vocaverit me in nomine 5 tuo, ego statim audiam eam, et liberabo eam, et faciam eam parere quiete sine doloribus. Et quicumque vir appellaverit nomen suum nomine tuo, non adveniet adversus eum dolor per totum eius corpus in aeternum. Et omnem agrum, vel vineam, p. 30. vel aurum, vel argentum, *omnesque divitias, e quibus sumpserit 10 et dederit eleemosynam in nomine tuo, ego duplicabo ea sexies in duplum. Et in omni ecclesia christiana, quae aedificata erit in nomine tuo, ego sanabo quemcumque morbo affectum, die sexta singularum hebdomadarum; et faciam ut angelus virtutis meae sit semper in ea. Et omnis praesidis, qui serviet bene 15 ecclesiae christianae tuae, ego faciam habitationem esse tecum in domo tua, quae est in caelis in aeternum. Et quicumque incredulus erit in martyrio tuo, ego iubebo ut proiiciant eum in inferna. Et omnis presbyter qui ministrabit in ecclesia christiana tua cum castitate, ego faciam ut perstet in ecclesia chri- 20 stiana primogenita usque in aeternum. Et quicumque despiciet martyrium tuum, et in illo faciet malum et amabit impuritatem, ego faciam eius portionem cum incantatoribus. Et omnis diaconus qui bene ministrabit ecclesiae christianae tuae, ego faciam, ut ministret cum Stephano primo diacono. Et qui su- 25 perbus erit corde suo, et non habebit misericordiam, et odio habebit pauperes, ego iubebo ut proiiciant eum in ignem aeternum. Et omnis feminae sterilis, quae deprecata me fuerit in nomine tuo, ego dabo ventri fructum vitae. Et omnibus bestiis sterilibus, pro quibus rogabunt me in nomine tuo, ego dabo 30 ut gignant viventia. Et ecce de his omnibus rebus, quas dedi tibi, alii certiorem te faciunt. Constans esto, neque timeas, et ego ero tecum et cum omnibus fratribus tuis, et filiis tuis, et cum omni familia tua, donec consummaveritis certamen vestrum et martyrium vestrum bonum. Ecce nunc etiam, ut in- 35 tinxi te in mari vitae et purificavi interna tua et externa tua, ego impero ut ferant te et adducant te in urbem meam sanctam, et ostendant habitationes eorum qui certant propter nomen meum. Praeterea impero ut adducant te in hortum deli-

ciarum, in quo posuerunt Abrahamum, et Isaacum, et Iacobum, patres antiquos ». Et tunc angelus Dei sustulit sanctum Basilidem super alas suas fulgentes, et adduxit eum in mare vitae, et intinxit eum ter in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,
5 unius Dei; et adduxit eum in habitationes omnium praestantium et iustorum; et tunc ostendit ei magnum palatium, quod erat ornatum auro, et argento, et gemmis, *et margaritis, et smaragdis, et hyacinthis; et hoc erat ornatum omni pulchritudine; et circumdabant id quattuor et viginti palatia ornata et pul-
10 chra; et in eis non erat ullus vir; et unum palatium, quod in eorum medio erat, magnum erat, et altum erat valde supra alia; et nemo posset dicere eius honorem. Et sanctus Basilides dixit angelo: « Quorum sunt haec palatia, in quibus est tanta gloria et tantus honor, quae ita ornata sunt? Et cuius
15 est hoc palatium, quod magnum est, et multo altius quam omnia alia quae circumdant illud? Certo magnus honor debetur ei cui dabunt hoc palatium; nam accipiet honorem maiorem omni honore qui est in caelo; quia haec domus magna, quae est in medio eorum, illucet valde et pulchrior est omnibus ». Et
20 angelus respondit ei, et dixit ei: « Dilecte Christi, sancte Basilides, hoc palatium quod est in eorum medio, quod altius est ceteris palatiis, tuum est; quae reliqua sunt, ea sunt familiae tuae et Iusti regis filii. Ecce rursus ostendam tibi hortum deliciarum, locum requietis iustorum ». Et continuo adduxit eum
25 ad hortum deliciarum. Et vidit multos praestantes, qui illic habitabant; et vidit Abrahamum, et Isaacum, et Iacobum; et hi salutaverunt eum et dixerunt ei: « Bonus est adventus tuus, frater noster et dilecte noster; constans esto, neque timeas, quia Deus tecum est in omnibus rebus ». Postea angelus su-
30 stulit eum alis suis, et adduxit eum ad Salvatorem nostrum Iesum Christum; et tunc Basilides cecidit in faciem suam et adoravit eum. At Salvator noster, ei gloria sit, posuit manum suam super totum eius corpus, et abundare fecit lucem in eo; et dixit ei: « Ne timeas, dilecte mi, Basilides, sed constans esto,
35 et ego tecum ero quocumque ibis ». Et archangelus Michael consolatus est sanctum Basilidem coram Salvatore nostro, cui gloria sit. Et Dominus noster dixit sancto Basilidi: « Ecce eum, qui ministrat, iuxta te posui in omni loco quo duxerint te ». Tunc Salvator imperavit archangelo Michaeli ut ferret sanctum Ba-

p. 31.

silidem super alas suas, et reduceret eum ad eius domum. Et statim reduxit eum ad eius domum; et eius corpus fuit fulgens sicut ignis; et eius odor suavis sicut myrrha; et angelus Dei, p. 32. archangelus Michael, salutavit eum, *et eum implevit viribus et laetitia; et dedit ei pacem, et ascendit ad caelum. 5

Caput VIII.

Et sanctus Basilides quidem, cum surrexit mane, nemini locutus est quod viderat; sed eius cor laetum fuit sicut hortus Dei. Et post haec fecit magnum convivium viduis, et orphanis, et peregrinis, et pauperibus; et cinxit lumbos suos, et ambu- 10 lans diem transegit; et Macarius, eius filius, ministrabat cum eo. Et cum perfecissent convivium, dederunt unicuique ex eis pauperibus denarium aureum, et demiserunt eos in pace ad eorum domos. Et erant sancto Basilidi quattuor milia servorum et decem milia ancillarum; et vocavit hos omnes, 15 et locutus est cum eis dicens: « Filii mei, ego volo ire ad regem iustum, qui vere est Salvator noster Iesus Christus, et perficere missionem ad quam vocavit me sua sancta voluntate. Et quicumque ex vobis voluerit mecum manere, maneat; et qui voluerit abire, abeat; et omnium vestrum, qui 20 voluerint abire, dabo unicuique litram [1] auream ». Sed eos qui dixerunt: « Nolumus abire », ille collocavit in domo sua; et fuit numerus eorum qui manserunt cum eo, ex eius servis, quadringenti et quadraginta; et numerus eius ancillarum quae manserunt cum eo, tria milia et triginta. Et sanctus Ba- 25 silides quidem preces agebat ad Deum, et expectabat Apatrem, et Iustum, et Theodorum Anatolium, et Claudium, et Eusebium, filium suum; et vigilabat omnes noctes et dies, et preces agebat ad Deum. Et post menses tres pervenerunt cohortes Iusti, et Eusebii, et Apatris, et Claudii, et cum eis signa vic- 30 toriae; et ingressi sunt in domum sancti Basilidis, praefecti militum; et non iverunt ad domum regis Diocletiani; et certiorem fecerunt eum cohortes rediisse in laetitia. Et propterea fuit in domo Diocletiani magna consternatio et tristitia; rex p. 33. succensuit *valde, et vocavit Hermanum, et dixit ei: « Dic mihi, 35

[1] Graec. λίτραν.

quid faciam; ecce primae cohortes Iusti ingressae sunt in urbem, et cum eis signa victoriae et laetitiae; et duxerunt eum ad domum Basilidis, praefecti militum; et paucos post dies erit ei regnum; et nunc etiam consilium da mihi, quid faciam ». 5 Et Hermanus respondit ei, et dixit Diocletiano: « Iube ut educant deos extra portam urbis, et praeco circumeat dicens: 'Nemo e cohortibus intret in urbem, antequam adoraverit deos regis, quia hi dederunt eis virtutem in bello'. Et quicumque adoraverit deos tuos, relinque eum; et qui non adoraverit deos tuos, 10 iube ut abscindatur eius caput gladio, et capiantur omnes eius divitiae. Et cum Iustus et Eusebius videbunt cohortes tuas occidere eorum cohortes, irascentur valde, et maledicent deis tuis; et hac ratione praevalebis in eos et in omnes eorum duces. Et idcirco firmum erit regnum tuum sine perturbatione; et Iustus 15 nolet regnum tuum ». Et cum Diocletianus audivisset hoc consilium, laetatus est valde, et fecit omnia quae Hermanus dixit ei.

Et cum fuit nonus dies mensis maskaram, venerunt magni praefecti militum Iustus et Eusebius; et invenerunt omnia idola posita super eorum sedes, extra portam urbis; et praeco 20 clamabat magna vi dicens: « Omnes qui audiunt iussum regis, adorent eius deos antequam intrent in urbem; nam hi dederunt eis virtutem et victoriam in bello ». Et tunc intraverunt in urbem omnes cohortes, et non adoraverunt eius deos impuros; et maledixerunt regi apostatae et eius idolis maledictis, quae 25 ille fecit; et pugnam inierunt cum cohortibus regis Diocletiani, et fuit inter eos magna caedes. Et Apater et Claudius viri strenui erant; occiderunt multos e cohortibus regis, et fregerunt septuaginta idola; et deiecerunt ea de eorum sedibus, et contriverunt ea; et occiderunt eos qui portam urbis custodiebant. 30 Et statim intraverunt in urbem cohortes Iusti et Eusebii; et eorum gladii stricti erant *in eorum manibus; et intraverunt p. 34. in domum sancti Basilidis, et steterunt coram eo; et cum eis erant omnes divitiae et captivi, quos ceperant ex provincia Persiae; et intruduxerunt eos in domum sancti Basilidis.

35 Caput IX.

Post haec ingressi sunt Iustus et Eusebius, et cum eis multi duces; et cum sanctus Basilides vidisset eos, amplexus est eos,

et osculatus est eos, et laetatus est valde, et dixit: « Benedictus est Dominus Deus omnipotens, pater Domini nostri et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui liberavit vos ab omnibus angustiis quae supervenerunt vobis; et qui etiam liberavit vos ab hoc errore et ab adoratione idolorum impurorum quae exaltavit 5 ille rex apostata et pravus ». Post haec sanctus Basilides consolatus est Iustum de morte Numeriani, eius patris, et narravit ei omnia quae imperavit de eo. Et cum fuit tempus vesperae, vocavit omnes cognatos suos et servos suos, et dedit eis cenam; et sanctus Basilides surrexit, et adstitit inter eos, et dixit eis: 10 « Nonne audivistis quod fecit rex apostata, qui abnegavit regem caeli et terrae, cuius in manu est anima eius, et coluit, idola impura? Et nos quidem christiani sumus; nos custodiamus ne seducat nos divitiis huius mundi transitorii, quae corrumpuntur, eiusque regni, quod peribit ». 15

Caput X.

« Vigilate igitur, fratres mei, neque relinquatis salutem animarum vestrarum et rectam fidem Iesu Christi. Et ecce ego mansi hos totos dies, cum vos expectarem, quemadmodum certiorem me fecit Dominus meus Iesus Christus de hac re, quia 20 nos omnes effusuri sumus sanguinem nostrum simul propter eius nomen sanctum. Et si corda vestra consentiunt mecum, ut moriamur propter nomen Christi, cui laus sit, scrutamini iam animas vestras et cogitationes vestras, quia ego eo ut effundam p. 35. *sanguinem meum propter nomen Domini mei Iesu Christi, Sal- 25 vatoris animae meae. Et ecce ego paratus sum ad certandum propter eius nomen sanctum. Quid enim prodest mihi honor huius mundi transitorii et veterascentis pro vita aeterna, cuius non est finis? » Et cum eius cognati et eius servi audivissent haec verba, clamaverunt omnes una voce et dixerunt: « Nos omnes 30 servi sumus Christi; morte qua tu morieris, nos etiam tecum moriemur ». Tunc sanctus Basilides vocavit omnes servos suos, et liberos fecit eos; et dedit omnes divitias suas pauperibus et egenis. Post haec completa est ira et invidia regis Diocletiani; et vocavit Claudium et Apatrem, et locutus est eis dicens: 35 « Dicite mihi: Cur non adoravistis deos qui vobis dederunt victoriam in bello; sed eos contrivistis, et eos fregistis, et oc-

cidistis servos meos et duces meos, qui custodiebant portam urbis? » Et sancti responderunt ei, et dixerunt ei: « Non est nobis rex nisi Iustus, regis Numeriani filius, et sanctus Basilides praefectus militum ». Et rex dixit eis: « Nonne scitis,
5 quod sanctus Basilides colit Nazarenum, quem Iudaei crucifixerunt Hierosolymis? Et Iustus etiam est una cum eo in hac religione; sed ego iuro per potestatem regni mei et per potestatem honoratorum deorum meorum, gladium meum iugulabit magnum et parvum, divitem et pauperem, si non obtem-
10 peraverint iussis meis; sed ego puniam eos gravi poena, et faciam ut gladius devoret eorum colla; et quis transgredietur iussum meum? » Et validi praefecti militum responderunt ei, et dixerunt ei: « Comprime os tuum, apostata; neque blasphemes contra Deum, Creatorem tuum, neque contra servos eius
15 sanctos. Tu autem deos vocas ipsos lapides, in quibus non est anima neque spiritus; et abnegavisti Dominum omnium, cuius in manu est anima tua! » Tunc rex succensuit, et scripsit epistulam praesidi urbis Antinoou, de Claudio et Apatre, et misit aliam epistulam ad Armenium praefectum urbis Alexandriae,
20 et relegavit hos sanctos. Sed rex Diocletianus illuminavit templum idolorum suorum, quod erat extra portam *urbis; et iussit, p. 36. ut praeco circumiret magna cum voce dicens: « Ego iubeo vos omnes, qui estis in urbe Antiochia, iudices et optimates, praefectos militum, et praepositos, et dominos, et milites, et episcopos,
25 presbyteros et diaconos, servos et liberos, magnos et parvos; ego iubeo vos omnes congregari in praetorium iuxta portam urbis, in deorum templo, et eis offerre sacrificium; et quicumque non obediet, neque adoraverit deos meos, occident eum gladio ». Et multos viros fideles, qui non obtemperaverant
30 eius iussis, relegavit, sicut Claudium et Apatrem. Sed Hermanus declaravit regi Diocletiano, quod Victor filius suus colebat Christum, neque colebat deos domini nostri regis. Et statim rex scripsit epistulam de Victore, et imposuerunt frenum ori Victoris, et miserunt eum ad praefectum Alexandriae, ubi fuit
35 vinctus; et iussit coniici eum in fornacem balneorum publicorum. Et ille erat unicus filius patris sui et matris suae; et ei non pepercit eius pater neque rex perversus.

Et cum sanctus Basilides vidisset haec, non segnis fuit, sed vocavit Iustum, et Eusebium, et Macarium, filios suos, et Theo-

dorum Anatolium, filium sororis suae, et dixit eis: « Filii mei, cur segnes estis? Nonne invenitur corona in omni tempore, et apertum est regnum caelorum in omni tempore? Et nunc etiam laeti simus, quia ecce adest tempus quo induemus vestes puras, quae non putrescent; et hac die per sanguinem nostrum purificabimur a peccatis nostris culpaque nostra. Haec est dies, de qua dixit Deus, quod in ea invenietur corona martyrii. Surgite, filii mei, et oremus ad Deum, ut certiores nos faciat quid agamus ». Et responderunt ei omnes una voce dicentes: « Domine noster, Basilides, nos omnes parati sumus tecum ad mortem, qua tu morieris, propter nomen Domini nostri et Regis nostri Iesu Christi ». Et sancti convenire iusserunt omnes qui erant in eorum domibus, eorum filios, et cognatos, et servos; et eadem die et eadem tota nocte adstiterunt orantes ad Deum, ut certiores faceret eos *quid agerent. Et cum fuit tempus mediae noctis, apparuit eis Salvator noster, et dedit eis pacem dicens: « Salutem vobis, electi puri; salutem vobis, quia Pater meus elegit vos in primis ex multis martyribus. Salutem vobis; laeti estote et exultate, quia coronabunt vos coronis lucis in Hierosolymis caelestibus. Laeti estote et exultate, quia ego paravi vobis habitationem bonam in urbe mea sancta. Constantes estote; ecce ego ero vobiscum, et liberabo vos. Audi, Basilides, dilecte mi; et nunc etiam ecce is rex, impurus corde suo, vocabit te mane, et loquetur tecum verba seductionis, et donabit te divitiis multis, et eis volet seducere cor tuum. Sed tu esto firmus corde, et validus, et ego tecum ero quocumque ducent te. Et ecce paravi tibi et eis qui erunt martyres, multos honores. Sed te ipsum adducent ad Africam, id est Pentapolim; et consummabis illic martyrium tuum manu Mysauri, praesidis ipsius urbis; et duos filios tuos ducent ad terram Aegypti; sed Eusebius consummabit martyrium suum in urbe cui nomen est Batmus; et Macarius consummabit martyrium suum in urbe cui nomen est Ahnas, et Theodora et Theopista consummabunt martyrium suum in urbe Keft, manu praesidis Diyonae. Et duas filias tuas, Ionam et Rodem, et Sophiam earum matrem, ducent ad urbem Basta, cum Aboli, Iusti filio, et illic consummabunt martyrium suum. Et Theodorum Anatolium, filium sororis tuae, suspendent in ligno k o m o l in hac urbe, et consummabit martyrium suum. Et Iustum etiam ducent ad urbem

Alexandriam, et tradent eum in manus praefecti Armenii; et is ter dicet Iusto: 'Audi eius verba'. Et post haec mittet eum ad praesidem urbis Antinoou, qui puniet eum magna poena, et consummabit martyrium suum eo in loco. Et Theocliam 5 eius uxorem ducent ad urbem Sa, et illic consummabit martyrium suum. Et quidem servos vestros, qui voluerunt martyres esse vobiscum, illi occident in hac urbe, et coronabuntur in regno meo coronis quae non corrumpuntur. *Et feci ut p. 38. servi duo ministrent utrique ex vobis, et scribant certamen ve- 10 strum, et linteis involvant corpora vestra, et ea abscondant in occultis locis, donec Pater meus, qui est in caelis, velit ea patefacere. Constantes estote, et ego vobiscum ero quocumque ducant vos ». Et, his dictis, dedit eis pacem Dominus noster, et ascendit ad caelos magna cum gloria.

15

Caput XI.

Et cum fuit mane, rex apostata et traditor misit nuncium, et vocavit sanctum Basilidem praefectum militum, et Iustum, et Eusebium, et Theodorum Anatolium, et locutus est eis dicens: « Vos estis primores totius regni Romanorum; sumite vobis 20 quod vobis debetur ex auro, et argento, et omnibus divitiis; et implete iussum meum, et adorate deos meos gloriosos, qui irascuntur vobis, quia vos ex eo die quo reversi estis a bello, non obtulistis eis sacrificium, et praesertim tibi, Basilides, quia tu es magnus praefectus militum provinciae Romanorum; et 25 dei irascuntur tibi propter te, quia tu non fuisti similis Hermano, qui amat deos, et idcirco invenit eam gratiam coram deis ». Et tunc rex Diocletianus iussit ut afferrent eis quingenta talenta auri, et vestes pretiosas, et multa munera, sicut erat honor regni; propterea attulit vestes tenues et purpuram, et 30 posuit eas coram sanctis; et iussit ut adducerent eis albos equos; et iussit ut afferrent idolum aureum et ponerent eum coram beatis; et super huius *idoli* caput scriptum erat eius nomen his verbis: Hic est magnus Baal [1], qui est maximus ex omnibus deis. Et beatus Basilides dixit regi: « Quis est deus, 35 qui irascitur nobis, sicut tu dixisti? Estne Iesus sanctus Na-

[1] Iupiter.



zarenus, qui dominatur omnibus finibus mundi; aut eius Pater egregius, aut Spiritus Sanctus, qui dat vitam eis qui in eo p. 39. confidunt? » Et rex Diocletianus dixit ei: *« Domine mi, praefecte militum, cave, noli memorare ex hoc tempore nomen Iesu coram me, sed deos magnos qui dederunt nobis potestatem et victoriam super inimicos nostros. Nonne vides hanc magnam gloriam quae est Baal qui est coram te? Et nunc etiam adorate, et offerte sacrificium, et adolete tus omnibus deis; neque aliud nisi id requiro a vobis, a te, Basilides, et ab omnibus qui tecum sunt; et ego non quaero a vobis magnum facinus ». Et responderunt ei sancti et puri, et dixerunt regi una voce: « Apostata, qui reliquisti Deum creatorem caeli et terrae, et adoravisti idola; forsitan cum attulisti has divitias, et eas posuisti coram nobis, et locutus es nobiscum verba seductionis, voluisti ut dimittamus a nobis spem Domini nostri Iesu Christi, Filii Dei vivi, cui gloria sit, et colamus deos tuos impuros? » Tunc Theodorus Anatolius evaginavit gladium suum, et venit ad Diocletianum, et voluit eum occidere; et Diocletianus surrexit statim, et fugit, et ingressus est in domum suam.

Caput XII.

Post haec sancti reversi sunt domos suas, benedicentes Deum et laudantes eum, quia eos fecit dignos qui confiderent in eius nomine sancto. Et cum sancti ingressi essent domos suas, narraverunt cognatis suis omnia quae eis acciderant, et quemadmodum locuti erant regi Diocletiano, qui abnegavit Iesum Christum; et dixerunt etiam cognatis suis, ut parati essent ad bonum certamen, id est martyrium. Et cum illuxisset, congregati sunt omnes in praetorio coram rege Diocletiano; et cum rex vidisset omnes sanctos et multos servos cum eis, dixit eis: « Quid quaeritis a me? » Et illi, cum gladii essent evaginati in eorum manibus, responderunt ei et dixerunt ei: « Quaerimus Christum a te, Diocletiane, ut simus martyres propter eius nomen sanctum. Et si non scripseris certamen nostrum, p. 40. nos abscindemus caput tuum ». *Et rex scripsit, et praecepit ut abscinderent capita servorum sanctorum; et absciderunt gladio eorum capita; et consummaverunt martyrium suum secundo die mensis tahsas, et abierunt ad Christum, quem amabant, in pace Dei.

Et numerus servorum qui mortui sunt et fuerunt martyres, fuit septem milium et triginta trium animarum. Et eorum benedictio sit cum eorum dilecto Za-Walda Maryam per saecula saeculorum. Amen.

5 CAPUT XIII.

Et rex vocavit Basilidem, et dixit ei: « Age; sacrifica deis, ne occidam te ». Et sanctus Basilides respondit, et dixit regi: « Ecce sunt multi dies, e quibus consensi cum anima mea, 10 ut confundam te et idola tua impura, apostata impuro corde ». Et rex correptus est magna ira, et voluit punire sanctum Basilidem; sed Hermanus prohibuit eum, et dixit regi: « Ne feceris id hac in urbe, ne insurgant contra te omnes homines urbis; nonne scis Basilidem esse principem huius regni? Et 15 ne veniat magna tristitia tibi, et regno tuo, propter eum; sed relega eum in Africam, id est Pentapolim, ad praesidem Mysaurum, ut ille interficiat eum illic ». Et regi placuit id consilium; et scripsit epistulam praesidi Mysauro, ita dicens: « Ego sum rex Diocletianus, dominator totius terrae; scribo ad prae- 20 sidem Mysaurum. Quod ego iussi in tota terra, ut omnes gentes sacrificium facerent deis, Basilides, summus praefectorum militum, transgressus est, et adversatus est iussis nostris, et recusavit deos adorare; et ecce mitto eum ad te, ut punias eum secundum voluntatem tuam; et si audiverit te, et adoraverit 25 deos, da ei magnum honorem; et si non audiverit te, abscinde eius caput gladio ». Tunc rex praecepit, ut vincirent sanctum Basilidem ferreis catenis; et tradidit eum uno magistratui, cui nomen erat Armenius, et cum isto erant multi milites. Et iste adduxit eum ad Pentapolim vinctum ferreis catenis.

30 Et incesserunt *cum sancto Basilide duo eius servi, sua sponte, p. 41. propter amorem erga dominum suum; et haec erant eorum nomina: Ardamis [1] et Aremyos [2]; et adduxerunt sanctum Basilidem ad navem, et iverunt cum illo ad urbem Africae, id est Pentapolim. Et sanctus Basilides permansit in navi per dies 35 tres et noctes tres nihil edens aut bibens; et ecce archangelus Michael venit ad eum in navem, et consolatus est eum, et dixit

[1] Ἀρτέμιος (?). — [2] Ἑρμίος (?).

ei: « Constans esto, Basilides, dilecte Domini nostri Iesu Christi; et ego ero tecum in omni loco quo ibis, quia Christus, rex noster, misit me ad te cum his bonis, quae sunt ex horto deliciarum, ut comedas ex eis, et laetum sit cor tuum ». Et statim solvit eum e catenis ferreis, quae erant in eius manibus et pedibus. Et sanctus Basilides dixit archangelo Michaeli: « Tu scis, domine mi, quod iter ad Pentapolim difficile est, et valde distans; sed ego timeo, ne veniat tempus hiemis dum sum in navi, et submergar mari, antequam fiam martyr, quod ego cupio; sed ego volo ut concites navem, et pervenire facias me ad portum urbis Africae sine mora ». Et angelus dixit sancto Basilidi: « Constans esto, dilecte mi, quia ego paratus sum ad perficiendam omnem voluntatem tuam; quot diebus vis ut ego pervenire faciam te ad eum locum, tot diebus id fiet ». Et sanctus Basilides dixit ei: « Quattuor diebus pervenire fac me ». Et angelus dixit ei: « Voluntas tua perficietur tibi, dilecte Christi ». Et angelus loquebatur cum illo de magnitudine Dei, donec fuit mane et apparuit lux solis; tunc levavit oculos suos ad caelum, et gratias egit Deo, et invenerunt navem esse in portu urbis Africae. Et cum nautae vidissent urbem Africae, collocuti sunt inter se dicentes: « Nonne hic est portus urbis Africae? » Et aliqui ex eis dicebant: « Quomodo pervenimus ad portum urbis Africae? Ecce hic dies est quartus dies ex quo egressi sumus ab urbe Antiochia; et nonne est longitudo cursus quinque mensium? Nonne ante quinque menses *pervenimus ad portum Africae? Sed interrogemus, ut certiores faciant nos, quis sit hic locus ». Et cum interrogavissent homines eiusdem urbis, responderunt eis, quod ille erat portus Africae; et nautae obstupuerunt; et archangelus Michael dedit pacem sancto Basilidi, et ascendit in caelos, et reliquit sanctum in urbe Africae.

p. 42.

Caput XIV.

Et post haec, praeses iussit ut educerent sanctum Basilidem e navi; et tunc magnus turis odor redoluit, cum ascendebat, ex corpore sancti, sicut suave unguentum. Et cum adspexisset praeses faciem sancti Basilidis, vidit eius faciem sicut faciem angeli Dei: obstupuit et timuit magno timore; et optimates et illi

ex servis, qui cum eo erant, comprehenderunt sanctum, et in-
duxerunt eum in urbem; et dederunt praesidi epistulam regis.
Tunc praeses sumpsit epistulam, et legit quod in ea erat scri-
ptum, quod erat huiusmodi: « Ecce mitto tibi Basilidem, qui
5 est magnus praefectus militum; fac in eum omnia quae volueris ».
Et praeses mandavit includi eum in carcere usque ad posterum
diem; et praeses suscepit optimatem, et dedit ei convivium.

Et cum advenisset mane, praeses mandavit adduci sanctum
Basilidem ad praetorium; et cum vidisset eum, dixit ei:
10 « Domine mi, praefecte militum, ubi est honor tuus et multae
divitiae tuae, ita ut decideris in hoc magnum probrum? » Et
sanctus Basilides respondit ei, et dixit ei: « O Mysaure, ne
interroges de divitiis meis, quia divitiae quas ego quaero a
Domino meo Iesu Christo, maiores sunt sexto, quam eae quas
15 reliqui ». Et cum praeses audivisset haec verba, succensuit,
et iussit ut suspenderent eum ad rotam, et verberarent eum.
Et verberaverunt eum donec eius sanguis fluebat, sicut aqua,
super terram. Et Mysaurus dixit ei: « Basilides, placuit tibi
forsan initium poenae; estne gravis? Num igitur veniet nunc
20 Iesus, et liberabit te ex manu mea? » Et sanctus Basilides
sustulit oculos suos ad *caelum, et dixit: « Ego benedico tibi, p. 43.
Domine mi Iesu Christe, quod dignum me fecisti qui labora-
rem propter nomen tuum sanctum. Audi me hodie, sicut tu
audisti me in omni tempore; et mitte angelum tuum, ut liberet
25 me ab hac poena ». Et statim archangelus Michael venit ad eum
e caelo, et fregit rotam, et deposuit beatum Basilidem, et te-
tigit eum manibus suis per omne eius corpus, et sanavit eum.
Et cum praeses vidisset id quod factum est, dixit sancto Basi-
lidi: « Ego autem nesciebam, quod tu sciebas artem magicam;
30 et iuro per Iovem, deum magnum, me dissoluturum corpus
tuum in poena ». Et iussit ut eum in carcerem includerent
usque ad posterum diem. Et cum adduxissent sanctum Basili-
dem in carcerem, invenit illic virum, in quo reponebatur spi-
ritus impurus; et cum is spiritus impurus vidisset spiritum
35 sanctum, qui erat super beatum Basilidem, clamavit, et dixit:
« Quid est mihi tecum, Basilides, dilecte Christi; ego discedo
ab eo, quia conspectus tuus infirmavit me nimis ». Et statim
spiritus impurus exiit ab isto viro, neque reversus est ad eum
iterum. Tunc surrexit sanctus Basilides, et oravit ad Deum

dicens: « Ego benedico tibi omnibus benedictionibus, Iesu Christe, Salvator animae meae et corporis mei et spiritus mei; ego benedico tibi, Domine mi; ne discedas a me in hac urbe, sed esto mecum, donec consummaverim certamen meum. » Et cum advenisset mane, praeses iussit ut adducerent sanctum 5 Basilidem ad praetorium; et tunc venit sanctus, et clamavit dicens: « Praeses, veni ad te. Tu et idola tua, impura; ego et Dominus meus Iesus Christus, puri ». Et praeses dixit ei: « Basilides, delibera tandem tecum, ut sacrifices deis regis, antequam puniam te mala poena ». Et sanctus Basilides respondit ei, et 10 dixit iudici: « O canis et sordide, impure corde, iam deliberavi cum anima mea antequam venirem ad te in hunc locum. Nonne p. 44. scis in corde tuo, quod non dignus es *qui ministrares ei qui minimus est e servis meis? Et nunc etiam, impure, quod volueris fac in me, quia Dominus meus Iesus Christus liberabit 15 me ». Sed praeses Mysaurus succensuit valde, et indignatus est; et iussit ut adducerent lectum ferreum, et prosternerent in eo iustum, et clavis ferreis affigerent martyrem, et sub eum accenderent radices arborum. Tum ille *lectus* flagravit et fuit sicut ignis, et combussit corpus sancti Basilidis, donec factum 20 est cinis.

Et cum praeses vidisset quod corpus sancti factum erat cinis, dixit: « Tu magnus deus es, Baal; confundisti iactantiam cordis huius apostatae. Ubi est eius Deus? Et impossibile est nunc, ut liberet eum a manu mea ». Et cum diceret haec verba 25 ecce lux, et fulgura, et tonitru, et nubes, et pluvia cinxit lectum et extinxit ignem, et factae sunt tenebrae. Et ecce Dominus Deus noster Iesus Christus, ei gloria sit, venit e caelo, et angeli circumdabant eum, archangelus Michael erat ad eius dexteram, et Gabriel ad eius sinistram; et Dominus noster dixit 30 Michaeli: « Affer mihi cinerem corporis dilecti mei Basilidis ». Et Michael fecit sicut Dominus noster imperaverat ei, et attulit eum coram Salvatore. Et tunc Dominus noster clamavit ter dicens: « Basilides, Basilides, Basilides, surge ex hoc somno, et cognosce me, quod ego sum qui feci te ». Et statim san- 35 ctus Basilides surrexit sine corruptione, et eius facies splendebat sicut sol, et sicut validus et vinolentus [1]. Et cum vidit Sal-

[1] Cf. *Ps.* LXVII, 71.

vatorem nostrum, cecidit facie sua in terram, et adoravit eum. Et Salvator noster salutavit eum, et dixit ei: « Constans esto, dilecte mi, Basilides; ne timeas; et ego tecum ero; et ecce paravi tibi coronas tres; et tu morieris ter; et ego surgere faciam te etiam ter, cum mortuus fueris, et veniemus ego et Pater meus et Spiritus Sanctus, et suscipiemus animam tuam, et coronabimus te ». Et cum Dominus noster dixisset ei haec verba, dedit ei pacem et ascendit in caelos magna cum gloria. Et sanctus Basilides ivit ad praetorium, et clamavit dicens: « Erubesce, praeses Mysaure, tu et dei tui impuri; et cognosce me, quod ego sum Basilides, cuius corpus combussisti igne, donec factum est cinis ». Et cum populus vidisset sanctum Basilidem, martyrem Christi, *admiratus est; et adfuerunt sexaginta viri et tres feminae, et maledixerunt praesidi, et sparserunt pulverem in eius faciem, et dixerunt ei: « Comburat te Deus igne in gehenna, te, et regem tuum rebellem et apostatam, et deos tuos impuros; et nos quidem omnes christiani publice confitemur Christum, Deum sancti Basilidis ». Et cum Mysaurus vidisset populum clamantem et haec dicentem, interrogavit servos suos, et dixit eis: « Quid accidit? » Et dixerunt ei: « Ille magus christianus, quem tu combussisti igne, ecce resurrexit ex mortuis ». Et praeses iussit ut adducerent coram se eosdem sexaginta viros et tres feminas; et hi clamabant et dicebant: « Hodie confundantur dii gentium, qui oculos habent et non vident; qui aures habent, et non audiunt; et qui os habent, et non loquuntur; et qui manus habent, et non contrectant; et qui pedes habent, et non ambulant [1]. Et nunc praeses Mysaurus confunditur, quia sanctus et strenuus Basilides contrivit insolentiam eius cordis ». Et praeses conversus est ad sanctum, et dixit ei: « Nunc cognovi, quod tu es magnus magister in magia ». Sed iidem sexaginta viri et tres feminae maledicebant praesidi; et tunc is iratus est, et praecepit ut abscinderent eorum capita gladio; et consummaverunt martyrium suum in pace Dei. Eorum oratio et eorum benedictio sint cum dilecto eorum Za-Walda Maryam per saecula saeculorum. Amen.

p. 45.

[1] Cf. *Ps.* CXIII, 12.

Caput XV.

Et praeses conversus est ad sanctum, et dixit ei: « Num laetus es, Basilides, de morte illorum virorum propter te? Et nunc etiam sacrifica deis, ne moriaris magna et gravi poena ». Et respondit ei sanctus et strenuus, et dixit ei: « Stulte, si ego voluissem adorare eos, quos fecit manus hominum, non reliquissem domum meam, et magnum honorem, et divitias meas, neque venissem in hunc locum; sed in me fac quod volueris, quia non adorabo idola impura ». Et praeses praecepit ut afferrent duos clavos ferreos longos, et eos incenderent in fornace, eosque figerent in eius oculis; praeterea praecepit ut *afferrent picem et sulphur, et bullire facerent, et in eius os infunderent; et praeses clamavit magna voce, et dixit: « Ubi sunt multa verba tua, Basilides? Cur non venit Iesus Christus ut liberet te e manu mea? » Sed sanctus Basilides, cum haec patiretur, erat constans et fortis. Et praeses praecepit ut includerent eum in carcerem; et sanctus iacebat in carcere, et in eius corpore erant multa vulnera, neque poterat se erigere. sed iacebat in terram orans in corde suo. Et cum ille oraret, ecce archangelus Michael venit ad eum in carcerem: et cum eo erant cibus et fructus ex paradiso; et illuminavit totum carcerem; et angelus salutavit eum, et consolatus est eum, et dixit ei: « Constans esto, quia tu firmus es in Domino; tu, qui vicisti Satan et eius pravos duces; tu, quem Christus elegit, sicut sanctum apostolum Paulum; tu, quem omnes martyres expectant, ut obviam occurrant tibi, cum eis qui fuerunt in ecclesia christiana primogenita ». Et tunc archangelus Michael imposuit manum suam super corpus sancti, et sanavit eum; et insufflavit in eius faciem, et ille vidit, et locutus est cum eo lingua sua. Et Michael collocavit coram eo omnia bona quae erant ex paradiso, et dixit ei: « Suscipe, et comede ex eis quae Deus praeparavit tibi, ut fruaris consolatione in eis ». Et corpus sancti Basilidis confortatum est valde, et ipse sanatus est; et fuit similis illi qui nunquam excruciatus est; et erat laetus, et exultabat in Domino. Post haec archangelus Michael salutavit eum, et ascendit in caelos, cum sanctus videret eum.

Et sanctus Basilides mansit quidem ea nocte tota laudans

Deum, donec orta est lux matutina; et cum factum esset mane. praeses dixit servis suis: « Ite ad carcerem; et videte eum rebellem; si mortuus est, proiicite eius corpus canibus, quia eius Deus non potuit eum liberare a manu mea ». Et servi
5 praesidis iverunt ad carcerem; et invenerunt sanctum stantem et orantem; et eius facies lucebat sicut sol, et lux scintillabat in eius oculis. Et cum iidem servi vidissent eum, mirati sunt, et diu obstupuerunt, et ceciderunt *in terram, et adoraverunt p. 47. eum; et nomina eorundem servorum erant Bidaryos, et Nu-
10 matewos, et Iohannes, et Lutius [1]; et dixerunt ei: « Pater noster, dilecte Christi, adsit nobis clementia tua, quia nos caeci sumus ex tempore quo nati sumus, sed nunc ecce vidimus; et certiores fac nos, quid faciamus, ut salvemus animas nostras ». Et sanctus Basilides respondit, et dixit eis servis: « Ite, et date
15 omnes divitias vestras pauperibus; et venite, et credete in Christum ». Et iidem servi dixerunt sancto Dei: « Quid faciemus, quia non sumus baptizati baptismo christiano? » Et sanctus Basilides dixit eis: « Strenui corde estote vos; et venite ad me in praetorio, et credite in Christum, et ille glorificabitur valde
20 apud vos ». Et ii servi sane dederunt omnes divitias suas pauperibus et egenis, viduis et orphanis; et sanctus praevenit eos in praetorio, et clamavit dicens: « Cognosce me, praeses, quia ego sum ille quem tu heri excruciasti, et abscidisti linguam meam, et igne combussisti totum corpus meum; erubesce nunc
25 tu et idola tua; ecce Dominus meus Iesus Christus misit angelum suum, et statim liberavit me ». Et praeses dixit ei: « Ubi sunt illi servi, quos misi ad te? » Et beatus Basilides dixit ei: « Ierunt, et venient nunc, ut confundant te et idola tua ». Et praeses dixit ei: « Satis est tibi, Basilides, cum ma-
30 ledices mihi, quia tu non erubescis. Nonne scis quod ego potestatem habens super te, faciam adversum te multa mala? Sed ego tibi parco, quia tu maximus es ex omnibus praefectis militum Romanorum; et nunc etiam sacrifica sacrificium deis, quia non sacrificasti eis usque ad hoc tempus; et ego toleravi
35 te nimis ». Et athleta strenuus et sanctus, Basilides, respondit ei, et dixit ei: « Si forte heri pepercisti mihi, ne parcas mihi hodie; et Dominus meus Iesus Christus, Salvator meus, ille adiuvabit

[1] Tiberius (?), et Timotheus (?), et Iohannes, et Lucius (?) vel Laetus (?).

me ». Et praeses dixit ei: « Inde ab hoc tempore cave ne memores nomen Christi ore tuo ». Et praeses dixit lictoribus suis: « Sumite clavam ferream, et verberate eum in os eius et faciem eius, donec cadant ossa eius oris et eius faciei super terram ». Et sanctus sane patienter tulit omnem hanc poenam 5
p. 48. cum firmitate. Et cum verberarent eum, ecce venerunt *iidem servi, et clamaverunt coram praeside, dicentes: « Nos christiani sumus publice ». Et praeses dixit eis: « Quid est quod contigit vobis; forsitan is christianus seduxit vos veneficio suo? Sacrificate sacrificium deis, et ego vobis dabo magnum honorem ». 10
Et illi dixerunt ei: « Impure, in Christo non est veneficium; neque ii qui credunt in eius nomen sanctum, sunt venefici; sed error est in te et in rege tuo apostata; quia hic mundus transitorius est, et eius divitiae corruptibiles, sed gratia Spiritus Sancti non deficiet per saecula saeculorum ». 15

Caput XVI.

Et cum praeses hoc audivisset, praecepit ut flagellarent eos scuticis, donec terra humida sit eorum sanguine; et praeses clamabat ad eos, et dicebat eis: « Sacrificate deis, ne moriamini morte mala ». Et sancti quoque clamabant dicentes: « Nobis non est deus nisi Dominus noster Iesus Christus, Filius 20
Dei vivi, cui gloria sit! » Et praeses iratus est, et praecepit ut verberarent eos in eorum os et in eorum faciem, donec fracta sint ossa eorum faciei et dentes eorum. Et sanctus Basilides consolabatur eos, et obfirmabat eos, et dixit eis: « Constantes 25
estote, filii mei; ecce propinqua est vobis corona, quae non corrumpitur ». Et responderunt ei, et dixerunt ei: « Vae nobis, pater noster; quid faciemus, quia nos non sumus baptizati sancto baptismo christiano? » Et sanctus Basilides oravit dicens: « Deus, Domine mi, Christe, qui audivisti Eliam Thesbiten, diebus regis 30
Achabi, et misisti ei ignem et aquam: sed ignis comedit rebelles, et aqua sane purificavit oblationem; eodem modo Deus, Deus meus, fac ut fluat aqua in hoc loco nunc coram hoc populo, ut baptizentur isti servi, iuvenes martyres, propter nomen tuum sanctum; et omnis is populus cognoscat quod non est alius Deus nisi tu; 35
et te decet gloria et honor et adoratio, Domine mi, Iesu Christe, cum Patre tuo benigno et misericorde, et Spiritu Sancto vivifi-

cante per saecula saeculorum. Amen ». *Et cum sanctus Basilides p. 49.
dixisset haec verba, ecce fons aquae fluxit statim in eo loco per
medium populi; et iidem quattuor iuvenes statim descenderunt in
fontem aquae, et baptizati sunt ter in nomine Patris et Filii et
5 Spiritus Sancti, unius Dei. Et cum populus id vidisset quod accidit,
clamaverunt omnes una voce dicentes: « Unus est Deus sancti
Basilidis ». Post haec descenderunt omnes in fontem aquae, et
baptizati sunt ter in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,
unius Dei; et erat numerus eorum virorum trecentarum ani-
10 marum; et clamaverunt tunc dicentes: « Nos credimus in Deum
sancti Basilidis, qui liberavit eum ab omni angustia et omni
poena, et baptizati sumus in eius nomine sancto; et quidem
moriemur propter eius nomen sanctum ». Sed praeses Mysau-
rus, cum vidisset quod accidit, iussit gladio abscindi eorum
15 capita in fonte aquae. Et consummaverunt martyrium suum,
et iverunt ad Deum qui amabat eos et elegit eos. Eorum
benedictio sit cum eorum dilecto Za-Walda Maryam per sae-
cula saeculorum. Amen.

Caput XVII.

20 Et praeses praecepit ut vincirent sanctum, et ducerent eum in
carcerem usque ad posterum diem; et praeses iratus est valde;
non comedit neque bibit ea nocte, cogitans in corde suo, quid
faceret in sanctum Basilidem. Et cum Basilides esset in car-
cere, venit ad eum angelus Dei, et dixit ei: « Salutem tibi, Ba-
25 silides, electe Dei; constans esto, neque timeas, quia tecum est
Deus quem tu colis; et ille liberabit te ab omni angustia ».
Et angelus imposuit manum suam super eius corpus, et fuit
similis illi quem nunquam flagellarunt; et salutavit eum, et
ascendit in caelos. Sanctus autem constitit per totam noctem
30 psallens, donec sol ortus est. Et cum illuxisset, praeses iussit
adduci eum ad praetorium; et sanctus incedebat psallens, et
ita dicebat: « Opprime, Domine, eos qui opprimunt me; bel-
lum infer, Domine, eis qui bellum inferunt mihi. Cape scutum *et p. 50.
hastam, et surge ad auxilium meum. Evagina gladium tuum,
35 et cinge eos qui incurrunt in me. Dic animae meae: Ego sum
adiutor tuus. Confundantur et deprimantur omnes qui quae-

runt animam meam [1] ». Usque ad huius *psalmi* finem. Et cum accederet ad praetorium, clamavit dicens: « Veni ad te, praeses Mysaure; erubesce tu et idola tua; sed ego laetus sum in Deo, quia iterum veni, ut confundam te et idola tua, quae facta sunt manu hominum ». Et praeses appropinquavit ad eum, et dixit ei: « Basilides, ego quidem video te gloriantem quod facis veneficium; sed ego puniam te, sicut tibi debetur ». Et iussit ut iniicerent sanctum in rotam, cuius acies erat similis aciei serrae; et iussit ut tres viri volverent rotam, donec contrita sint omnia ossa quae erant in eius corpore. Et adhuc iussit ut detraherent eum ex rota, et iniicerent eum in magnam patinam, et sub eo accenderent ignem, donec dissoluti sint eius ossa. Post haec iussit ut sumerent eandem patinam, in qua erant ossa iusti et beati Basilidis, et ferrent eam ad superiorem partem montis alti, et foderent in terra fossam cubitorum circiter trium, et eum sepelirent. Et praeses exultavit, et abiit laetus, ut cenaret cum magistratibus suis.

Et ecce advenit nubes magna et tonitru, donec commota est terra; et venit ex caelo Dominus noster Iesus Christus, et cum illo myriades angelorum, circumstantibus eum Michaele a dextra et Gabriele a sinistra; et David laudabat et psallebat coram eo, et clamabat dicens: « Deus custodit omnia ossa iustorum, neque conteretur unum ex eis [2] ». Et tunc Dominus noster sedit loco in quo sepulta erant ossa sancti et beati Basilidis, et Dominus indicavit terrae et dixit ei: « O terra, aperi os tuum, et exeat corpus dilecti mei Basilidis, ut sciat quod ego feci eum manu mea divina ». Et terra aperuit os suum, et ex ea exiit corpus sancti et beati *Basilidis in superiorem partem terrae, ut erat clausus in patina. Et Dominus Deus noster dixit Michaeli: « Aperi hanc patinam, in qua sunt ossa dilecti mei Basilidis ». Et cum Michael aperuisset eam, Salvator noster vocavit eum dicens: « Surge, et cognosce me, electe et dilecte mi. Ecce Pater meus et Spiritus Sanctus laetantur propter certamen tuum; constans esto: ecce in propinquo est ut accipias coronam vitae, quae non corrumpitur ». Et venit ad eum propheta David, et salutavit eum, et consolatus est eum, et omnes sancti salutaverunt eum; et Salvator noster, cui laus sit, con-

[1] *Ps.* xxxiv, 1. — [2] *Ps.* xxxiii, 21.

solatus est eum, et dixit ei: « Dilecte mi, Basilides, ego iuro per me ipsum, me honoraturum te plus quam omnes martyres qui consummaverunt martyrium suum ante te hucusque, et plus quam omnes martyres qui consummabunt martyrium suum
5 post te usque ad finem mundi. Et quicumque fecerit commemorationem tuam, aut amaverit nomen tuum, et invocaverit te in tempore angustiae suae et probationis in hoc mundo, post eius mortem faciam habitationem eius tecum in regno caelorum. Et ecce coronas tres praeparavi tibi ad similitudinem
10 sanctae Trinitatis. Gratia mea, et potestas mea, et pax mea erunt tecum in aeternum ». Et Salvator noster salutavit eum; et adscendit in caelos magna cum gloria; et sanctus adspiciebat eum. Et Spiritus Sanctus replevit beatum Basilidem; et is surrexit, et descendit a superiore parte montis, et venit ad prae-
15 torium clamans et dicens: « Praeses Mysaure, cognosce me, quod ego sum Basilides, quem tu coxisti igne, donec corpus meum dissolutum fuit sicut aqua. Et ecce Dominus meus Iesus Christus, cui gloria sit, venit ad me, et surgere fecit me, ut confunderet te ». Et cum homines vidissent quod accidit, cla-
20 maverunt dicentes: « Unus est Deus sancti Basilidis, et non est alius Deus nisi ille; quia ille surgere fecit mortuos, et liberavit eos qui in illo fiduciam posuerunt ». Et urbs erat plena vocibus hominum clamantium, et cucurrerunt omnes, magni et parvi, ut viderent quod acciderat; et venerunt ad locum in quo
25 erat sanctus Basilides; et congregata est ad eum magna multitudo; et cum vidissent eum, clamaverunt omnes una voce dicentes: « Benedictus est Deus Pater omnipotens, quem tu *colis; et maledictus sit praeses Mysaurus, et eius dei impuri, et eius rex apostata ». Et commota est tota urbs vocibus multi-
30 tudinis clamantis. Et tunc adstiterunt duo milia virorum, et sumpserunt pulverem, et sparserunt in faciem praesidis; et is perterritus est ab eis, et dixit eis: « Quid quaeritis? » Et eius magistratus dixerunt ei: « Ille christianus quem tu coxisti igne, et dissolutus est sicut aqua, ecce ille adstat ad circum, et omnis
35 multitudo urbis circumdant eum et admirantur eum ». Et cum praeses haec audivisset, dixit magistratibus suis et amicis suis: « Quomodo vivus est ille impostor rursum, postquam dissolutus est sicut aqua? » Et dixerunt ei: « Surge; age, eamus ut videamus quod accidit ». Et cum pervenissent ad circum, in quo

p. 52.

congregata erat multitudo, et vidissent multitudinem, praeses obstupuit sed illa duo milia virorum clamaverunt adversus praesidem, et dixerunt ei: « Maledictus sis tu, et dei tui impuri; sed nos christiani publice sumus ». Et praeses respondit, et dixit eis: « Quid mali feci contra vos, ut maledicatis mihi? » Et illi dixerunt ei: « Nos quidem maledicemus tibi, donec iusseris abscindi capita nostra gladio, quia nos omnes credimus in Deum sancti Basilidis, qui surgere fecit eum a mortuis; et nisi iusseris abscindi capita nostra, nos lapides in te coniiciemus ». Et praeses dixit eis: « Num is Basilides, qui est ex urbe Antiochia, seduxit vos veneficio suo? » Et illi clamaverunt dicentes: « Comprime os tuum, impure, adversarie Dei, neque loqueris contra iustum hac in re ». Et sumpserunt lapides, et voluerunt lapidare praesidem. Et cum ille vidisset populum insurgere adversus se, praecepit ut separarent eorum unumquemque, et proiicerent lapides in eos, et comburerent igne eorum corpora; et reliquis abscinderent capita gladio. Et fecerunt in eos, sicut praeses iussit; et fuit numerus eorum qui occisi sunt, decem milium hominum; et consummaverunt martyrium suum in pace Dei; et coronati sunt coronis quae non corrumpuntur in regno caelorum. Eorum oratio, et eorum benedictio, et eorum tutela sint cum eorum dilecto Za-Walda Maryam per saecula saeculorum. Amen.

p. 53.

*Caput XVIII.

Et praeses dixit sancto Basilidi: « Num laetus es, Basilides, morte eorum omnium hominum propter te; quando persolves sanguinem eorum hominum? Et tu dicis quod duces eos ad Christum in regnum caelorum; tandem certiores fac nos, cum Iudaei prehenderunt Christum, et crucifixerunt eum, et clavis affixerunt eius manus et eius pedes super lignum crucis, et transfixerunt eum hasta, cur non liberavit se ipsum a morte? Et cum posuerant eum in sepulchro, eius discipuli furati sunt eum, et dixerunt: Surrexit a mortuis! » Et sanctus Basilides dixit ei: « Comprime os tuum, apostata, neque blasphemes contra Creatorem tuum, cuius in manu est anima tua ». Et priusquam vox completa esset ex ore sancti, frenatum est os praesidis, neque poterat loqui; et mirati sunt eius magistratus, et rogaverunt

sanctum ut ignosceret ei, et aperiret os eius. Et sanctus dixit eis: « Relinquite eum, quod debeat mori, quia blasphemavit contra eius Creatorem, cuius in manu est anima eius: sed propter Deum Dominum nostrum Iesum Christum, ut laudetur
5 nomen eius sanctum coram his hominibus, et ego rogabo Deum meum ut aperiat os eius ». Et post haec sanctus Basilides surrexit, et oravit dicens: « Domine mi, Iesu Christe, quod ego suscipio hunc laborem propter nomen tuum sanctum, quia tu audis servos tuos martyres dum rogant te, audi me servum
10 tuum, Domine mi, et aperi os huius apostatae, ut sciant omnes homines quod non est alius Deus nisi tu; et tibi laus sit per saecula saeculorum. Amen et amen ».

Caput XIX.

Post haec, sanctus accessit ad praesidem, et signavit eum signo
15 crucis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, unius Dei; et statim apertum est eius os, et reversum est eius cor. Et praeses iussit ut ducerent sanctum in carcerem *usque ad posterum diem; et sanctus noctem transegit in carcere, orans Deum per totam noctem, donec illuxit; et praeses quidem non
20 vocavit eum, quia ipse erat aegrotus domi suae. p. 54.

Et erat quidem vir in urbe Africae dives valde, et habebat filiam unicam, quae erat caeca utroque oculo; et surrexit is vir veneficus, et sumpsit secum filiam suam, et adduxit eam ad sanctum in carcerem; et rogavit sanctum multis lacrimis,
25 et dixit ei: « Domine mi, pater sancte, clementia tua adsit filiae meae nomine Dei, et det lucem eius oculis; quia audivi, quod quidem vir mortuus permansit per dies quattuor et noctes quattuor in sepulcro, et Dominus noster Iesus Christus surgere fecit eum e mortuis; nunc etiam, domine mi, clementia tua adsit
30 filiae meae, et aperiat eius oculos ». Et sanctus Basilides respondit ei, et dixit eidem viro: « Credisne quod Christus sanare potest filiam tuam? » Et idem vir dixit ei: « Domine mi, profecto ego credo quod potestas et virtus est Iesu Christo in omnibus rebus ». Et sanctus dixit ei: « Ubi invenisti hanc fir-
35 mam fidem? » Et sanctus surrexit continuo, et protendit manus suas, et oravit ita dicens: « Domine Deus, omnipotens, et creator omnis creaturae; tu qui fecisti hominem ad imaginem

et similitudinem tuam, et sanavisti claudos et caecos, surdos et mutos, ut manifestaretur ars sapientiae tuae, et gentes videant miracula tua, et cognoscant quod tibi est potestas et magnitudo; et tu, Domine, perfecisti artem sapientiae tuae super terram in corpore tuo; et tu cognoscis lapsum nostrum et in- 5 firmitatem nostram, quia nos cadimus per peccata nostra, quia tu dixisti, Domine, ore tuo divino: Quicumque habebit fidem quasi granum sinapis, et dixerit huic monti: Recede, is recedet [1]. Nunc quoque, Domine mi, ego rogo te pro hac puella, quam fecisti caecam sapientia tua, ut ei des lucem, sicut de- 10 disti lucem illi qui caecus natus erat ex utero suae matris, saliva oris tui sancti, et continuo vidit. Nunc quoque, Domine mi, da mihi gratiam, mihi servo tuo, pro hac puella, ut per te videat oculis suis, ut cognoscant omnes gentes, quod non est p. 55. alius deus nisi tu, et Pater tuus *misericors, et Spiritus Sanctus 15 vivificator, usque in aeternum. Amen! » Et cum absolvisset orationem suam, exspuit salivam suam super terram, et unxit oculos huius puellae saliva sua quae erat mixta cum pulvere, ad similitudinem signi crucis Christi, cui gloria sit.

Caput XX. 20

Et statim ea puella vidit oculis suis; et eius nomen erat Cosmiana; et nomen eius patris Abumuduyos, et nomen eius matris Iona. Et cum pater huius puellae vidisset quod ei acciderat, cecidit in faciem suam, et adoravit sanctum, et dixit: « Benedictus est Dominus Deus, qui misit te ad nos salvatorem, 25 qui salvabis animas nostras, et curabis morbos nostros ». Et is vir sumpsit filiam suam, et duxit eam per urbem Africae, clamans et dicens: « Venite, videte filiam meam, quae erat caeca, et ecce Deus curavit eam per orationem sancti Basilidis; et signavit eam signo crucis: et sanata est statim ». Et tunc 30 gentes Africae sumpserunt omnes aegrotos qui erant in earum urbe, et adduxerunt eos ad sanctum Basilidem in carcerem; et is oravit pro eis, et continuo omnes sanati sunt ab eorum morbis; et ad eum adduxerunt eos quoque in quos intraverant daemones; et oravit pro eis, et daemones impuri exierunt ex 35

[1] Matth., xiii, 31.

eis. Et audita est eius fama per totam provinciam Africae, ita ut nemo posset numerare eos qui ad eum veniebant. Praeses autem permansit domi suae per quadraginta dies aegrotus; et cum surrexit ex morbo, recordatus est sancti Basilidis, et in-
5 terrogavit de eo; et eius magistratus dixerunt ei: « Ecce quidem manet in carcere; et facit multa miracula, et sanat omnes aegrotos ». Et cum advenisset sextus dies novilunii, praecepit ut adducerent sanctum Basilidem ad praetorium; et multi homines erant in carcere; et cum praesidis servi venissent ut educerent
10 sanctum e carcere, ii homines sumpserunt lapides in manus, et cucurrerunt post *servos praesidis, et voluerunt eos occidere; p. 56. sed sanctus impedivit eos dicens: « Ne lapidetis eos, sed sinite eos implere iussum eorum domini ». Et praesidis servi sumpserunt sanctum, et adduxerunt eum ad praetorium, et adstare
15 fecerunt eum coram praeside; et multi homines sequebantur sanctum Basilidem, clamantes et dicentes: « Vae tibi, praeses Mysaure, quod tu irritasti Deum multo magis quam omnes qui habitant super terram ». Et praeses iussit ut expellerent omnes, et eos verberarent; et adstiterunt eodem tempore sexa-
20 ginta viri ex eis, et maledixerunt praesidi. Sanctus Basilides autem confirmabat eorum corda, et dicebat eis: « Ne timeatis; ecce coronae paratae sunt vobis ». Tunc praeses iussit abscindi eorum capita. Et eduxerunt eos extra urbem, et gladio abscinderunt eis capita, sexto die mensis maskaram; et acce-
25 perunt coronam martyrii, quae non corrumpitur, in regno caelorum. Eorum oratio et eorum benedictio sint cum eorum dilecto Za-Walda Maryam per saecula saeculorum. Amen.

Caput XXI.

Et praeses iratus est valde, et dixit sancto Basilidi: « Forsitan
30 deliberasti tecum hoc mense, ut sacrifices sacrificium deis? » Et beatus Basilides dixit ei: « Ecce iam deliberavi mecum, priusquam venirem huc ad te; ego autem paratus sum, ut saepius confundam te ». Et praeses audiens iratus est valde, et praecepit ut adducerent ad eum torcular, et in eo ponerent sanctum; et
35 secarent eum serra lignea. Et sanctus Basilides cecidit in genua, et adoravit Deum ter, et oravit dicens: « Domine mi Iesu Christe, quod ego perfero hunc laborem propter nomen tuum

sanctum, esto mecum hac hora, et libera me ab hac morte amara ». Et cum haec dixisset, iniecerunt eum in torcular; et super eum traxerunt torcular serrae, et secuerunt eum in partes duas. Praeterea praeses praecepit ut abscinderent eius corpus se-
p. 57. curi, et comburerent eum igne, quem accenderunt *lignis sareda. Et tunc advenit nubes, et pluit pluvia, et circumdedit corpus sancti Basilidis; et haec magna pluvia extinxit ignem; propterea fuit magnus terror; et advenit fulgur et tonitru, ita ut concuteretur terra et omnia eius fundamenta. Et ecce Dominus Deus noster Iesus Christus, cui gloria sit, descendit e caelo, sedens in curru lucente; cherubim et seraphim erant cum eo, Michaelem ad dextram eius, et Gabriel ad eius sinistram; et sedit ubi erat corpus sancti Basilidis, et Salvator noster dixit Michaeli: « Admove ad me corpus dilecti mei Basilidis, quia haec dixit, ut liberarem eum ex hoc torculari ». Et tunc angelus admovit membra sancti Basilidis, et Salvator noster vocavit eum ter dicens: « Surge, neque timeas, dilecte mi, Basilides pure, quia ecce propinquum est tibi tempus finis certaminis tui ». Et statim surrexit sine corruptione, et Dominus noster insufflavit in eius os, et ab eo removit timorem; et salutavit eum, et dixit ei: « Constans esto, neque timeas, electe et dilecte mi, Basilides; beatus es tu, amate a me, a Patre meo, et a Spiritu Sancto, quia tu explevisti iussum sancti Evangelii, quod dixit: Qui non reliquit patrem suum et matrem suam, vel uxorem suam, vel filios suos, et omnes divitias suas, neque secutus est me, non dignus est esse discipulus meus verus [1]; tu explevisti haec omnia. Et ego iuro per me ipsum, quod quicumque vir rogaverit me in nomine tuo, cum erit in quavis angustia: ego statim audiam eum, et liberabo eum; et quicumque vir curaverit corpus tuum, et eum condiet, et qui fecerit scribere certamen martyrii tui: ego scribam eius nomen in Hierosolymis caelestibus, neque unquam videbit animam suam in infernis. Et ecce praeparavi tibi coronas tres in regno caelorum; primam ob divitias tuas, quas sprevisti; secundam ob laborem, quem tulisti propter nomen meum; tertiam ob exilium tuum et sanguinem tuum, qui effusus est propter nomen meum. Et ego honorabo te honore centies maiore quam fuit

[1] Cf. MATTH., X, 37, sqq.

ille in quo eras in hoc mundo ». Et Basilides dixit ei: « Domine mi, quis condiet corpus meum, vel quis scribet certamen martyrii mei? » Et Salvator noster dixit ei: « Ecce duo servi tui qui educati sunt domi tuae, et pater puellae cui aperuisti
5 oculos, *hi curabunt corpus tuum, et magnum certamen martyrii tui. Et ecce dies angustiae et certaminis transiit; et Diocletianus caecus erit utroque oculo; et adveniet ei interitus et pernicies, et sedebit ad portam urbis Antiochiae petens eleemosynam annos sex circiter: et Maximiani, eius collegae, scin-
10 detur corpus, sicut Herodis; et propter magnam angustiam infiget gladium suum in pectus suum, et secabit corpus suum, et morietur morte mala. Post haec dabo regnum Constantino regi iusto, quod ille amavit me, et Patrem meum, et Spiritum Sanctum; et in eius diebus erit tranquillitas, et pax in ecclesiis
15 christianis; et mittet Eulogium, filium fratris patris tui, et imperabit ei ut clauderet templa idolorum, et aperiret ecclesias christianas; et quaecumque ex eis diruta fuerit, aedificabunt eam novam, quae erit melior quam antea; et erit magna laetitia per totam terram in diebus Constantini iusti; et afferent corpus
20 tuum ad monasterium Zegag, quod est extra urbem Alexandriam, et ei aedificabunt pulchram ecclesiam christianam. Constans esto, dilecte mi Basilides, quia ego obfirmabo te, et non discedam a te donec acceperis coronam quae non corrumpitur, in regno meo, quod est per saecula saeculorum ». Et Salvator
25 noster salutavit eum, et ascendit in caelos magna cum gloria.

Et praeses sane tristis fuit valde propter magnum tumultum, qui factus est a multitudine; et sanctus Basilides cucurrit ad praesidem, et clamavit dicens: « Erubesce, praeses, quia ecce Dominus noster Iesus Christus, cui gloria sit, venit ad me, et
30 surgere me fecit, et misit me ad te, ut confundam te et idola tua impura. Surge, et veni nunc, ut videas me; ecce me, quem tu serra secare fecisti, et conscidisti corpus meum securi, et conbussisti me igne. Ecce pervenit is qui removebit iudicium tuum, et delebit deos tuos; quia Dominus noster Iesus Chri-
35 stus, cui gloria sit, qui redemit ecclesiam christianam sanguine suo glorioso, recordatus est sanguinis puri iustorum, quem vos effudistis sine peccatis; et franget thronum regis tui apostatae, et ab eo tollet regnum, et dabit ei cui debetur, et regnare eum faciet super totam terram; et in eo glorificabitur Chri-

p. 58.

p. 59. stus *et eius ecclesia christiana sancta. Nunc etiam, cito iube abscindi caput meum gladio, ut consummetur certamen meum; quia tempus meum propinquum est, ut eam ad Dominum meum et Deum meum Iesum Christum, quem amat anima mea; quia ille expectat me cum angelis suis, ut laetarer cum eo ». Et 5 cum praeses haec audivisset, dixit ei: « Basilides, at ego nunquam vidi veneficum qui tibi similis sit. Vae mihi, quid faciam, quod is Basilides delevit totam urbem Africae veneficiis suis? » Et dixit militibus suis: « Ducite eum ad carcerem, donec deliberaverim quid faciam in eum ». Et postero die venerunt homines; 10 et cum vidissent sanctum Basilidem manentem in carcere, et faciem eius splendentem sicut solem, dixerunt custodi carceris: « Nonne hic est, quem praeses secare fecit serra, et cuius corpus securi abscindere fecit heri? » Et custos respondit, et dixit eis: « Vere is est ». Et homines locuti sunt ei, et dixerunt ei: 15 « Resurrexit postquam mortuus est? » Et respondit custos carceris, et dixit eis: « Eius Deus surgere eum fecit a mortuis ». Et homines mirati sunt valde, et clamaverunt dicentes: « Non est alius deus in caelo neque in terra nisi Dominus Iesus Christus, Filius Dei vivi. Deus sancti Basilidis ex urbe Antio- 20 chia ». Et adduxerunt ad eum omnes aegrotos diversis morbis, et ille sanavit eos; et ex iis in quibus erant daemones, expullit daemones virtute Spiritus Sancti, qui in eo habitabat. Et beatus Basilides, coepit psallere in carcere dicens: « Omnes dei gentium daemones sunt; oculos habent, et non vident; et 25 aures habent, et non audiunt; et pedes habent, et non ambulant; et manus habent, et non tangunt; et nasum habent, et non olfaciunt; Deo nostro autem est vis super omnia; quae voluit, facit miracula pro suis sanctis [1] ». Et homines urbis Africae, cum vidissent miracula quae faciebat, crediderunt in Christum, 30 Deum sancti Basilidis qui ferebat hunc laborem propter eius nomen sanctum. Et cum praeses vidisset quod multi clamabant adversus ipsum, obstupuit, et dixit magistratibus suis et eis qui secum habitabant: « Quid faciam? Ecce perierunt omnes p. 60. *homines urbis, et facti sunt stulti, et dilexerunt mortem ma- 35 gis quam vitam ». Et eius magistratus et qui cum eo habitabant suaserunt ei, et dixerunt ei: « Domine noster, remitte

[1] *Ps.* CXIII, 12 sqq.

Basilidem qui est ab urbe Antiochia; ille seduxit omnes homines urbis Africae; sed abscinde eius caput gladio, ut requiescas ab illo ». Et cum praeses audivisset hoc consilium, id placuit ei; et praecepit ut adducerent sanctum Basilidem ad praetorium, ge-
5 rentem in collo collare ferreum et in ore frenum. Et homines urbis incedebant pone eum clamantes et dicentes: « Non est alius deus nisi Deus sancti Basilidis; ille est qui confudit praesidem Mysaurum, et eius regem apostatam et rebellem, et eius deos impuros », Et praeses dixit multitudini: « Admonemini et
10 tacete, donec ego resciverim quomodo iubeam abscindi caput Basilidis ». Sed illi clamabant valde, et dicebant ei: « Nisi praeceperis ut abscindant capita nostra, priusquam eius caput abscindatur, interficiemus te et duces tuos ». Et praeses timuit ne ab illis interficeretur; et tunc iussit cohortes suas, ut abscin-
15 derent eorum capita gladio; et multi ex hominibus urbis voluerunt accipere coronam martyrii; et currebant ad certamen, et conveniebant ex eis magni et parvi; et demittebant colla sua sponte ut abscinderentur gladio; et aer sane erat plenus angelorum, et ii coronabant martyres electos. Et beatus Basilides consolabatur eos dicens: « Ne timeatis, filii mei, ecce Christus
20 praeparavit vobis coronam quae non corrumpitur ». Et cum praeses videret quod omnes cupiebant mori propter nomen Christi, timuit ne urbs tota deleretur; propterea iussit milites suos, ne occiderent gladio aliquem e populo. Et eorum quos occiderunt propter nomen Christi fuit numerus quattuordecim milium
25 et sexcentorum virorum et trium et triginta feminarum; et una ex his erat Romana, filia Ablosyanos, optimatis urbis Africae; et consummaverunt martyrium suum nono die mensis maskaram; et eorum animae obtulerunt sacrificium Deo in caelis. Eorum benedictio sit cum eorum dilecto Za-Walda Maryam per
30 saecula saeculorum. Amen.

*Caput XXII.

p. 61.

Et reliqui ex populo clamabant, et dicebant: « Maledictus sit praeses Mysaurus, et eius dei impuri, et eius rex apostata ». Et praeses iratus est, et indignatus est valde propter eos qui fue-
35 rant martyres; et punivit sanctum Basilidem magna poena, et vinxit eum catenis ferreis; et iussit milites suos, ut ducerent

eum ad carcerem usque ad posterum diem. Et sanctus Basilides prostratus erat in carcere propter multa vulnera quae erant in eius corpore, et nequibat se erigere; at rogabat Deum in corde suo. Et tunc archangelus Michael venit ad eum e caelo, et liberavit eum e catenis quibus erat vinctus; et sanavit eius vulnera; et ascendit in caelos, sancto eum adspiciente. Et sanctus Basilides surrexit, et mansit tota ea nocte psallens et dicens: « Deus illuminat me et salvat me, quid terret me? Deus est protector vitae meae, quid pertubabit me? [1] »; usque ad eiusdem psalmi finem. Et cum dies illuxisset, praeses iussit ut adducerent sanctum Basilidem ad praetorium; et cum adduxissent eum, viderunt non esse corruptionem in eius corpore. Et consiliarii praesidis dixerunt ei: « Scribe sententiam huius hominis, et iube ut abscindant eius caput gladio; et fac ne compareat inter nos, ne seducat nos cum urbe nostra veneficiis suis ». Tunc praeses coepit scribere eius sententiam, ita dicens: « Quod hic Basilides, qui non dignus est ut sit praefectus militum, transgressus est iussum dominorum regum, et sprevit legem dominatorum, et nequivimus convertere eius cor ut sacrificaret sacrificium deis regum; nunc ego iubeo abscindi eius caput gladio ». Et cum sanctus Basilides audivit finem certaminis sui et martyrii, laetatus est valde, quia Deus visitavit eum, ut educeret eum ex hoc mundo transitorio. Et iniecerunt frenum in eius os, et mox eduxerunt eum ad locum caedis; et omnes homines Africae incedebant pone eum, et volebant *videre finem eius martyrii et eius certaminis. Et servos qui cum eo venerant ad urbem Africae, custodivit Deus; et nullum malum accidit eis usque ad diem finis certaminis sancti; et illi adduxerunt mox odoramenta, et vestes tenues, et amiculos pretiosos; et straverunt in loco quo abscissuri erant eius caput. Et sanctus Basilides rogavit milites, ut sibi eximerent frenum ex ore, ut oraret ad Dominum nostrum Iesum Christum; et cum exemissent frenum ex ore sancti Basilidis, is convertit faciem suam ad orientem, et prostravit se genibus suis, et oravit dicens: « Audi me hodie, Domine mi Iesu Christe; tu vivus es usque in aeternum. Tu es qui exaltas humiles, et salvas eos qui in te confidunt. Quia tu salvasti Moysem ab angustia; et tu au-

[1] *Ps.* XXVI.

divisti Danielem in fovea leonum: audi me hodie; ego sum servus tuus, filius ancillae tuae; aperi mihi portas clementiae tuae et misericordiae tuae; et mitte ad me angelum pacis, ut monstret viam animae meae ad habitationes tuas fulgentes. Tu
5 scis, Domine mi, quod ego sprevi omnes divitias meas et palatium meum propter hanc horam. Antea quidem, Domine mi, aperuerunt mihi portas laetitiae illi qui ingressi sunt per eas, omnes qui laborarunt propter nomen tuum sanctum ». Et cum haec dixisset, Dominus noster Iesus Christus apparuit ei supra
10 eum, et cum illo multi angeli. Et beatus Basilides audivit vocem Domini nostri dicentis: « Salutem tibi; laetus sis, electe mi Basilides; ascende ad me, benedicte Patris mei, ut in hereditatem accipias vitam aeternam; et ecce angeli mei et archangeli mei exspectant te, et suscipient animam tuam; et coronae
15 quas promisi in manu mea sunt; et omnia quae promisi, ego impleam tibi in regno meo; et beatus erit is qui amabit te, et faciet commemorationem tuam, ut ei possibile erit, undecimo die singulorum mensium, quia anima eius nunquam videbit poenas ». Et cum Salvator noster haec dixisset ei, Basilides
20 laetatus est valde, et exultavit in Spiritu Sancto. Postea conversus est ad lictorem qui cultrum habebat in manu, et dixit ei: « Veni, fili mi, et perfice ministerium tuum ». Tunc *strenuus et beatus cecidit in genua sua; et facies eius conversa erat ad orientem, et extendit collum. Et lictor prehendit eius
25 comam utraque manu, et velavit eius faciem. Et sanctus dixit ei qui cultrum habebat: « Percute, fili mi; ne parcas, quia Dominus meus Iesus Christus est mecum ». Et tunc percussit eum gladio, et abscidit eius caput sanctum; et ex eius corpore fluxit lac et sanguis; et consummavit suum certamen et mar-
30 tyrium benedictum die feriae sextae, undecimo die mensis m a s k a r a m. Et eius servi sumpserunt eius corpus sanctum et purum, et id involverunt vestibus pulchris cum odoramentis; et extulerunt et attulerunt ad domum viri cuius filiae oculos aperuit; et posuerunt illud in loco pulchro usque ad finem
35 dierum persecutionis et angustiae; tunc aedificaverunt ei ecclesiam christianam pulchram, et in ea posuerunt eius corpus; et in ea facta sunt magna prodigia.

p. 63.

Nunc ecce narravi vobis, populi fideles, amatores Dei, et nobiles principes christianorum, qui hodie congressi estis ad me,

et rogavistis me magno desiderio propter amorem huius sancti et electi Dei, huius athletae victoris Basilidis, qui certavit magnum certamen propter nomen Domini nostri Iesu Christi; et sprevit omnes honores huius mundi, regnum suum et divitias suas transitorias, propter divitias Salvatoris, quae non pereunt; 5 propterea rogo vos, dilecti mei, ego pater vester, pauper Caelestinus, qui constitutus sum Dei voluntate archiepiscopus super urbem Romae, ut firma sit fides vestra in martyribus athletis propter nomen Domini nostri Iesu Christi, quia illi accepti sunt coram eo omni tempore, et eorum memoria apud eum semper est. 10 Et Dominus Deus omnipotens laetificabit vos, si dederitis eleemosynas pauperibus et egenis, et decimas ex divitiis vestris ecclesis christianis propter nomen sanctorum martyrum. Ii praesertim accipient magnam mercedem in regno caelorum, qui scribere fecerunt certamen eorum et gloriosa miracula eorum, 15 maxime huius praefecti militum strenui et sancti Basilidis; quia ipse laetatur hodie in congregatione vestra in eius commemoratione magna. Propterea dignum fecit me ut narrarem vobis pauca ex laboribus huius sancti Basilidis, qui sustinuit angustiam propter *nomen Domini nostri Iesu Christi, cui gloria sit. 20 [p. 64.] Aedificate ecclesias christianas huic sancto, ut Iesus Christus aedificet vobis domum iuxta domum suam in regno caelorum; et scribite certamen eius martyrii, idque scriptum collocate in ecclesiis christianis, ut Deus scribat nomina vestra in libro vitae. Cibum date viduis et orphanis, [ut comedatis cibum vitae]; 25 et potum date sitientibus, ut bibatis calicem salutis. Vestite eos die eius commemorationis, propter nomen sancti Basilidis, ut cherubim tegant vos alis suis. Diligite vos invicem amore vero, ut is martyr, strenuus et sanctus gloriosus Basilides, intercedat pro vobis, ut ingrediamini cum eo in Hierosolymis 30 caelestibus domo sponsi caelestis, id est Domini nostri et Dei nostri Iesu Christi, cui debetur omnis honor et omnis gloria et omnis adoratio, cum eius Patre egregio, et Spiritu Sancto vivificante, qui aequalis est ei; nunc et semper, et per saecula saeculorum. Amen, et amen; ita sit, ita sit. 35

Perfectus est hic liber benedictus, in quo est certamen martyrii sancti et beati Basilidis, martyris Domini nostri Iesu Christi, auxilio Dei; eius oratio et eius benedictio sint cum dilecto suo Za-Walda Maryam per saecula saeculorum. Amen. Et fuit finis

huius libri nobilis anno $\overline{\text{VII}}$ CLXXXXV Creationis mundi, et anno MCCCLXXXV Martyrum purorum; eorum benedictio sit cum dilecto suo Za-Walda Maryam per saecula saeculorum. Amen. Et qui scribi iussit hoc certamen sancti Basilidis, sperans 5 salutem, pro eius oratione sancta, Deus scribat eius nomen in libro vitae; per tutelam huius sancti Basilidis, praefecti militum et martyris, et per orationem dominae nostrae sanctae Virginis, id est, per Mariam, Deiparam, dominam hominum et angelorum; et per orationem prophetarum et apostolorum, 10 iustorum et martyrum. Amen, et amen.

Facinora et miracula, quae fecit sanctus Basilides, martyris Domini nostri Iesu Christi, in insula quae appellatur Meselē; *eius oratio et virtus eius auxilii tueantur eius dilectum Za- p. 65. Walda Maryam et nos omnes populum christianorum per sae- 15 cula saeculorum. Amen.

Audite, narrabo vobis eius virtutem, quam ostendit contra duces Grañii, Mahamad filii, qui exiit, post exitium bestiarum Badlay et Mahfud, ut destrueret oppida Aethiopiae, et dirueret ecclesias christianas, quae aedificatae erant, donec occiderit 20 multos christianos, et donec persecutus fuerit regem et eius duces. In iisdem diebus surrexit unus ex eius tyrannis, cui nomen erat Farasam Ali, et coepit bellum inferre gentibus insularum Saf, et igni comburere eorum ecclesias christianas, scilicet sanctuarium Gabrielis de Kebran, et Dabra Maryam; 25 et multas alias insulas igni vastavit; et nullas reliquit, nisi tres ecclesias christianas, scilicet: sanctuarium sancti Cyriaci de Sana, et sanctuarium sancti Basilidis de Meselē, et Rema domus Salvatoris mundi. Sed sanctus Basilides, strenuus et validus, scivit quod is infidelis Farasam Ali ingressus erat in 30 suum sanctuarium; praemisit et convocavit socios suos, qui sunt miraculorum operatores, Georgius, et Theodorus, et Claudius, et Cyriacus, et Mercurius, et Victor; et heroicus Basilides sumpsit eos a parte austri; et congressus est cum eis quidam monachus spiritualis, cui nomen erat Elias, unus ex 35 fidelibus Dei. Et monachus dixit eis: « Qui estis, domini mei? Ego video maiestatem vestram sicut regum huius mundi; quia non est rex qui vobis similis sit maiestate ». Et Basilides dixit huic monacho: « Hi sunt Theodorus, et Claudius, et filii mei Eusebius et Macarius, Victor et Mercurius, et Cyriacus ». Et

dum loquitur cum eo, pervenit eques; eius equi ungulae strepebant sicut tonitru, et in eius manu erat lancea ignea. Tunc monachus tremuit, et non valuit loqui; et sanctus Basilides dixit ei: « Ne timeas; hic autem est Georgius, corona martyrum ». Et monachus dixit eis: « Quo inceditis? » Et illi dixerunt ei: « Imus ad Meselē, et illic Deus noster iussit nos ire, ne hic infidelis combureret sanctuarium nostrum; et te etiam suscipiemus, cum revertemur ». Et postea monachus requievit tertio die. Et illi ierunt per dorsum maris, sicut per terram siccam. Et id accidit feria secunda, in terra Guelquaba. Postea *ipse infidelis, perditionis filius, Farasam Ali, sumpsit mille et quingentos viros strenuos cum gladiis et scutis, et vehi fecit omnes nonaginta et ducentis ratibus, et misit eos nocte contra Dei servos; et pervenerunt tempore gallicinii; et ipsi Dei servi erant tunc in ecclesia christiana orantes, sicut eis mos erat; alius erat in mari, et alius erat in conclavi, et alius erat nudus in frigore; et audierunt strepitum plurimorum militum, qui vehebantur nonaginta et ducentis ratibus; quini et seni, et eorum numerus erat quingentorum et mille; et combusserunt igni domus monachorum; et factus est magnus clamor; et aliqui obiurgaverunt eum; et eos non terruit eius maiestas neque vis eius militum instructorum ad bellum, donec martyres fuerint per ipsius manus; et verberavit eos magna verberatione. Et pravi milites Farasam Ali missi sunt usque ad ecclesiam christianam, sicut consueverant, ut comburerent igni ecclesiam christianam; et tunc ignis fuit eis sicut aqua. Et surrexit sanctus Basilides, operator miraculorum, qui antea praeparatus erat ad bellum, cum sancto Georgio, et Theodoro, et Claudio, et Victore, et Mercurio, et Cyriaco; et constiterunt ad fores ecclesiae christianae, et iusserunt quendam servum monachi, ut tympana pulsaret in littore maris; et Islam, milites Farasam Ali, audierunt sonum tympanorum, et obstupuerunt magno pavore prae timore eius maiestatis; et ignoraverunt vim sancti Basilidis, qui id fecerat virtute sui Dei. Et statim ingressus est timor et tremor in eorum corda, et eo fugerunt quo salvi non fiebant; alius cadebat in mare, alius abscondebat se in densa silva, et alius cadebat in precipitium, et alius rogabat, significans manu, ne eum occiderent; neque remanserunt ex mille et quingentis militibus qui venerant, nisi quadraginta;

et ii relicti sunt ut narrarent huius sancti miracula omnibus gentibus Islam; et perierunt hasta et in mari, sicut Pharaoh cum suis militibus, et sicut Senacherib qui extulit se contra Ezechiam, regem Iudeae; per virtutem sancti Basilidis, opera-
5 toris miraculorum et prodigiorum, deleti et consumpti sunt. Unus autem ex iis qui transfixi erant, ingressus est in ecclesiam christianam, cum visum est ei ut evaderet. Et incurrit ad angulum ecclesiae christianae, cum esset eius sanguis sicut aqua; usque ad id tempus videtur *vestigium sanguinis, quod p. 67.
10 est in angulo ecclesiae christianae, qui spectat ad orientem. Huius rei sum testis, neque ullum mendacium est in his omnibus. Et is vir permansit, inscientibus monachis, dies tres, cum esset aegrotus; et absconditus erat in camera ecclesiae christianae. Et sanctus Basilides, miraculorum operator, dixit
15 ei: « Exi e domo mea, ne hic pereas ». Et ille dixit ei: « Domine mi, timeo ne occidant me ». Et sanctus dixit ei: « Non interficient; vade et narra potestatem meam, et potestatem Dei mei; omnia quae facta sunt, per potestatem hominum facta non videatur eis, scilicet Islam genti Mahamad, sed tantum per
20 potestatem Dei; id fecit per manum sui servi Basilidis, validorum victoris ». Et edocuit eum ubi esset ratis; et ille descendit ex angulo ecclesiae christianae, et abiit, et invenit ratem, sicut edocuerat eum martyr Christi, Basilides; et exiit e mari, admirans potestatem Basilidis, operatoris miraculorum; et per-
25 venit ad ipsum infidelem Farasam Ali, et narravit ei omnia a principio usque ad finem, et dixit ei: « Ita est Deus christianorum; magna facinora facit ». Et mirati sunt, et obstupuerunt. Et is vir mortuus est, cum narravisset omnibus militibus Farasam Ali facinora Basilidis; et eius scutum exstat usque ad
30 hoc tempus in domo thesauri, ut sit testis huius miraculi.

Mirandum est, mirandum est, et beatum praedicatur opus tuum,
magna facinora quae contra gentes infideles egisti;
cum venerunt ut comburerent sanctuarium tuum,
35 et diruerent altaria tua,
in mari terribili, sicut Pharaoh, eos summersisti;
et propter hoc tributum misericordiae accepimus ad pactum [tuum;
et ne nos secernas a misericordia tua,
nos qui congregati sumus in festo tuo.
Amen, et amen. Ita sit, ita sit.

EFFIGIES BASILIDIS.

Ab Abessinis malkeʿĕ (መልክዕ « effigies, imago, figura ») vocatur carmen, quo cuiusdam sancti figura laudatur. Carmen dividitur in strophas, stropharum quaeque a voce salām (ሰላም « salus ») incipit; et omnes strophae versus desinunt in eandem litteram (homeoteleuton). Singulae strophae ad singula corporis membra vel animi facultates referuntur. Carmen huiusmodi malkeʿĕ solent Abessini cantare consentientibus vocibus post officium missae.

Effigies Basilidis habet strophas duas et quinquaginta; earum quaeque constat versibus quinque. Omnium stropharum versus tertius invocationem ad sanctum Basilidem continet. Carmen compositum fuit ab Abessino viro erudito, qui multa sumpsit e martyrologio eiusdem martyris et e Scripturis sacris.

Aliud carmen in laudem Basilidis, quod sequitur Effigiem Basilidis in codice Abbadiano n° 170, hic etiam addidimus. Strophis quinque constat quarum unaquaeque pariter a voce salām incipit. Id carmen alium auctorem, quam prioris habere videtur.

EFFIGIES BASILIDIS

1 In nomine Dei Sabaoth, qui unus est divinitate,
quamvis trinus sit personis et naturis,
scribam laudem effigiei tuae, martyr Basilidis;
5 adiuva me ad perficiendam illam auxilio tuo,
ne corporalis desidia praevaleat adversus me.

2 Salutem memoriae nominis tui in numero quinque clavorum,
quorum litterae inscriptae sunt in tabula sanctae Crucis [1];
martyr Basilides, ut nomen tuum celebratum,
10 ita etiam scribe nomen meum in tunica nova Christi,
cuius stamen est Pater, et Spiritus eius trama [2].

3 Salutem comae capitis tui, quae similis est herbae campi,
tegit tectum capitis tui, super quo crevit;
Basilides, ave! nomen tuum ornatum est sicut corona deliciarum;
15 anni [3] electi, qui venit retro,
tu es eius diadema et eius corona.

4 Salutem capiti tuo, quod est sicut caput cherub ex Qetru [4];
excelsa eius memoria, et praestans magnitudo eius honoris;
Basilides, cum caput tuum, propter amorem erga Christum,
20 incurvavisti sub gladio ut milites praesidis illud obtruncarent,
angeli mirati sunt magnam constantiam tuam.

5 Salutem faciei tuae, imagini faciei Dei artificis,
nam in ea effícta est in essentia imago et effigies [5];
martyr Basilides, rex martyrum Antiochiae,
25 ecce terra laetata est, cum lota est sanguine martyrii tui,
et mare etiam et multae insulae gavisae sunt [6].

[1] Nomen ፋሲለደስ quinque litteras habet, et idem est numerus clavorum crucis Christi; de eorum nominibus, vide Dillmann, *Lex. aeth.* col. 1402, 1403, 1405, 1407; et Basset, *Apocryphes éthiopiens*, V, p. 5, 16 et 35. — [2] *Homilia Procli, episcopi Cyzici*, n. 1 (Labbei, *Sacrosanta Concilia*, t. III, p. 577-586; Dillmann, *Lex. aeth.* col. 159). — [3] Vel ancillae? — [4] እስ፡ቆጥሩ, קְטֻרוֹת, Hez., xlvi, 22. Cf. Dillmann, *Lex. aeth.* c. 1403. — [5] Nam homo est imago et similitudo Dei (*Gen.*, i, 26). — [6] *Ps.* xcvi, 1.

6 Salutem palpebris tuis, quae custodiendo custodiunt,
ne pupilla oculi tui videat duplicem vanitatem;
Basilides, tot promissiones, quae supputari nequeunt,
eo quod mira passus es et graviter laborasti,
Deus tibi dedit. 5

7 Salutem oculis tuis, qui non formidaverunt intueri
res terribiles praesidis rebellis, qui amabat iniquitatem;
Basilides, novus Paulus, abundans afflictionibus supra computum
ut perficias in corpore tuo defectum passionis Christi [1], [arenarum,
stimulum freni dolorosi sortitus es. 10

8 Salutem utrique aurium tuarum,
quae auscultabant una orationes pauperum;
Basilides, semper in auditum aurium tuarum [2],
quovis tempore iniicio precem meam, et fundo supplicationem
ut seraphim offerant gratum sacrificium vesperae [3]. [meam, 15

9 Salutem duobus genis tuis, quae noluerunt se convertere
ad fallacem viam illorum qui in capistro et freno sunt [4];
propterea feci tibi, Basilides, votum,
ut genis meis non dem unguentum,
donec perfecerim hanc laudem tuam quam incepi. 20

10 Salutem naribus tuis, per quas effusus est
suavis odor amoris Christi, qui secum rapuit animas iustorum;
Basilides, cui potestas data est super potestates,
da mihi benedictionem tuam paucam, quae mihi sufficiat,
dum tamen a me nullum pretium requiris. 25

11 Salutem labiis tuis, quae sine intermissione et silentio
semper laudant nomen Dei;
sed si ego tunc fuissem, Basilides, nomen amomi,
ego salutavissem frenum labiorum tuorum,
et osculatus essem sanguinem qui stillabat ab eo. 30

[1] Cf. *Coloss.*, I, 24. — [2] Cf. *Ps.* XVII, 48. — [3] Cf. Is., VI; *Ps.* CXL, 2. — [4] Cf. *Ps.* XXX, 10.

12 Salutem ori tuo, rivo aloes et myrrhae,
qui tulit cum patientia frenum tormenti et afflictionis;
Basilides [1], ne os tuum foret praedicator,
qui diceret verbum: « Christus Filius Dei est »;
5 praeses urbis posuit custodem in eo [2].

[candoris,
13 Salutem dentibus tuis, qui meliores sunt quam pulchritudo
et plusquam candor nivis quae pluit super cacumen Salmonis [3];
Basilides, cursu fervidi equi Spiritus Sancti,
ei qui spectarunt curriculum tuum, quando per campum mar-
10 equis bellicis insidentes, omnes obdormierunt. [tyrii incedebas,

14 Salutem linguae tuae, quae locuta est iustitiam Dei
et Eius laudes, omnibus diebus;
Basilides, tu ex tormentis mercaturam efficisti,
ut, cum audivisses spem epistolae Petri [4], heres fieres postremo
15 « novum caelum et novam terram ». [tempore,

15 Salutem voci tuae, quae est sicut terribilis vox Dei,
quae commovet desertum et sterilem agrum Cades [5];
Basilides, vox tua sonat sicut tonitrus;
cum audita est in omnibus finibus Romae et Aegypti,
20 fracti sunt dii lapidei et lignei.

16 Salutem respirationi tuae, quae ex porta corporis interioris
spirat semper halitus benedictionis et perfectionis;
Basilides, os suave operum plusquam stacte [6];
domine mi, tibi adducam donum cantus psalmistae [7]:
25 « In itinere hostis mei pone contritionem contumeliae [8] ».

17 Salutem gutturi tuo, quod apertum est sicut sepulchrum
ad bibendum fervidum plumbum;
Basilides, tu condemnatus es in Pentapoli;
o vir liber, fili viri liberi et nobilis,
30 quomodo condemnatus es sicut servus alienigena?

[1] In ms. legitur ገላውዴዎስ, sed haud dubie lapsu calami. — [2] *Ps.* CXL, 3. — [3] *Ps.* LXVII, 15. — [4] II PETR., III, 13; cf. *Apocal.* XXI, 1. — [5] *Ps.* XXVIII, 7. — [6] ሰጡቃጢ, σταχτή, oleum myrrhae (*Sir.* XXIV, 15). — [7] ፕሌስጢ, ψάλτης. — [8] Cf. *Ps.* XIII, 7.

18 Salutem collo tuo, quod profudit sua sponte
lac et sanguinem, sicut collum Pauli [1];
Basilides, arbor olivae et stips vitis viniferae,
cum unus ex militibus praesidis abscidit nervum colli tui,
angeli tulerunt animam tuam alis lucis. 5

19 Salutem humeris tuis, qui se summiserunt ut portarent
grave iugum passionis, et onus tormentorum omnis generis;
veni ad me, Basilides, singulo postero die,
cum martyribus Antiochiae, qui in eadem urbe nati sunt,
et cum Victore consolatore et Martha eius matre. 10

20 Salutem dorso tuo, quod accepit verbera dolorosa
et flagellationes multas, quibus non erat finis;
Basilides, Vaselides, princeps consiliariorum regis Romae,
tege dorsum meum linteo temporis praefiniti,
sicut nebula tegit cacumina montium. 15

21 Salutem pectori tuo, quod fuit, secundum dignitatem suam,
habitatio spiritus sapientiae et sedes scientiae;
Basilides, quod feci te ipsum refugium,
quousque ponam, domine, in corde tristitiam?
Ad solatium meum veni, quo ego sim. 20

22 Salutem sinui tuo, qui fuit susceptor,
manipulos tormentorum multos colligens et tenens in sinu;
Basilides, mihi esto gubernator per undam tristitiae,
et in sinu tuo fac me recumbere illic quo perrexisti [2];
sicut famulus sequar te, cingens me fascia [3]. 25

23 Salutem dico manibus tuis geminis,
quae in catena doloris et pacis vinctae sunt consentientes;
Basilides, tu spiras odorem unguenti;
ut bene valens narrem martyrium desiderabile iustitiae tuae,
cum te rogo pro me, mihi da vitam. 30

[1] Cf. Martyrium sancti Pauli, apud BUDGE, *The Contendings of the Apostles*, t. I, p. 44, et t. II, p. 46. — [2] Id est, in Paradisum. — [3] Id est, promptus ad serviendum et obediendum.

24 Salutem brachiis tuis, qui deos regis iniqui
repente contriverunt sicut vas figulinum et calamum;
insidens equo victori, Basilides strenue,
cum insiliebas belli campum sicut fortis gigas,
5 cum nemo expelleret eum, fugiebat impius.

25 Salutem cubito tuo, cuius artus non soluti sunt,
sed gladius fidei suspensus erat eius radio;
Basilides, gestator crucis mortis Christi,
poena ignis non terruit te, quia confidebas in eo,
10 probe sciens te ei similem futurum in vita nova sua.

26 Salutem humeris tuis, qui fundamenta iacendo et suppu-
mensi sunt domum doloris, sicut sapiens architectus [1]; [tando
Basilides, seraph et spiritalis cherub;
cum frenatus eras, sicut mulus et ad instar equi indomiti,
15 tu erga homines ferox, docilis erga Patrem eras.

27 Salutem palmis tuis, quae expansae tradiderunt
famelicorum ventri panem, cibum Adami et Evae;
Basilides, similis Issachar, animae meae quae desiderat bonum [2],
ecce, quemadmodum Christus, similis Iacobo, tibi benedixit,
20 benedictionem tuam cito concede.

[nabant,
28 Salutem digitis tuis, qui quasi psalterium martyrii conci-
qui e palma manus tuae, ad instar floris, prodeunt e radicibus
sed semper tecum, Basilides, baca rosae, [stipitis suae;
cupirem, ut peregrini visitarent me praecepto amoris
25 Martha prudens et Victor eius filius.

[ut paulo
29 Salutem unguibus manus tuae; post eorum amputationem,
resurrectio mortuorum indicarent, illi germinabant iterum;
Basilides, miror martyrium tuum stupendum;
quis, sicut tu, portans frenum in ore suo,
30 curriculum suum persolvit, et certamen suum perfecit?

[1] I *Cor.*, III, 10. Cfr. O. von Lemm, *Kleine koptischen Studien*, p. 1-3.
[2] Cf. *Gen.*, XLIX, 14.

30 Salutem lumbis tuis, quos in lecto tormenti et supplicii
cubare fecit Mysaurus praeses cohortis mendacis;
Basilides, tu regnabis una cum Christo
in regno caelorum, de quo non dicitur tekel et mane [1];
regnum terrae reliquisti, et eius spretor fuisti. 5

31 Salutem ventri tuo, si quidem apparuerunt eius intestina,
quae combussit et coxit olla ignis voracis;
Basilides, frater matris Apatris et Irenes;
suscite potentiam tuam, et veni, Basilides victor,
ut nos salves ab hoste malo. 10

32 Salutem cordi tuo, quod prudens reddidit institutor,
qui est primus destructor et postremus aedificator;
Basilides, veni ad me in equo spiritus cursoris,
ut animam meam liberes e labiis omnis iniqui [2],
et e lingua, quae acuta est plusquam acutus culter. 15

33 Salutem renibus tuis, quos in fornace tentationis et pro- [bationis
liquando purgavit ignis, tanquam probatum aurum Ophir;
Basilides pure, hyssopo puritatis tuae..... [3]
asperge animam meam, ut sit pura e macula sua,
et sanguine martyrii tui pete veniam eius peccati in perpetuum. 20

34 Salutem menti tuae, quae cogitat excelsa,
ut assequatur retributionem bonam, quae manebit per saecula [saeculorum;
Basilides martyr, rex omnium martyrum;
qui similes tibi sunt in Christo, cupiditates suas crucifixerunt,
carnem suam in spiritu occiderunt [4]. 25

35 Salutem intestinis tuis, quae se effuderunt sicut aqua,
sub scalpro ferreo doloroso et serra lignea curva;
Basilides, dives altor cuiusvis pauperis,
per quem misisti panem tuum in faciem caeli excelsi;
invenies eum post longum tempus. 30

[1] Dan., v, 25. — [2] Cf. *Ps.* cxix, 2. — [3] Nos latet quid sit : ቀሰበ፡ ደፊሬ.
Cf. tamen *Ps.* l, 8; *Lev.*, xiv. — [4] Cf. *Galat.*, v, 24.

36 Salutem visceribus tuis, gemmis crystalli puris,
quia recondita sunt in arca ventris tui instar tabulae; [1]
Basilides, cui non est aliud exemplum simile tibi;
ego confugi ad promissum tuum hora planctus et calamitatis;
5 intercessio tua sit mihi redemptio.

37 Salutem umbilico tuo, sicut crater ornatus [2],
cuius sculptura est mirabile opus manus artificis [3] Dei;
mihi dando denarios et minas, Basilides benedicte,
iis qui laboraverunt mane usque ad viam vesperae et crepusculi,
10 me pigrum et segnem famulum aequiparet [4].

38 Salutem lumbis tuis, qui se cinxerunt virtute et firmitate,
ut delerent bellum e finibus totius terrae;
Basilides, sequar te ad aulam nuptiarum, quo ibis;
dirige viam meam interiorem et incessum meum exteriorem,
15 sicut iactus teli it recta via.

39 Salutem femoribus tuis,
quae parata sunt ad currendum in locum certaminis et mar-[tyrii;
Basilides, tu es dator, qui non avertes faciem;
in mense vicis tuae [5] rectitudo germinavit e terra,
20 et iustitia spectavit e caelo [6].

40 Salutem genibus tuis, quae nunquam se prostraverunt
deis qui non loquuntur, quamvis os habeant [7];
Basilides miles, sicut scriptum est in Scripturis,
antequam sumas hastam, et priusquam evagines gladium,
25 fuga castra hostium meorum, et expelle myriades.

41 Salutem pedibus tuis, qui coniunctim ligati sunt
in carcere clauso et in domo balnei obstructa;
Basilides valide, reliquum validorum senum,
esne tu Moyses iudex antiquae legis,
30 qui occidit Sehon et Og [8]?

[1] Id est, Legis mosaicae. — [2] *Cant.*, VII, 3. — [3] *Cant.*, VII, 2. — [4] Cf. MATTH., XX, 1 et sq. — [5] Id est, tempore auspicii tui. — [6] *Ps.* LXXXIV, 12. — [7] *Ps* CXXXIV, 16. — [8] Cf. Ios., II, 10.

42 Salutem plantis pedum tuorum, secundum dictum regis Da-
eas enim non cinxerunt peccata hostis peccatoris; [vidis [1],
Basilides, custodi plantas pedum meorum, qui peregrinus sum [2],
ne mordeat me, dum mihi insidiatur iuxta maledictionem primi
[hominis patris mei,
serpens qui momordit plantam pedis equi Dan [3]. 5

43 Salutem calcibus tuis, quae pro calceamento induta sunt
quae expansa est super Idumeas et Sidonias [4]; [flammam ignis,
Basilides, qui in iustitia mundum iudicasti,
in mundo carnis corruptibilis ne videam corruptionem,
spiritus tuus ducat me in via incorruptibili. 10

44 Salutem digitis tuis, qui non offenderunt in via,
cum transivisti ad martyrium per aream doloris et arcem
Basilides, tu es navis, cuius malus non vacillat, [morbi;
traiice me per mare damnationis, in quod nos adducet tentatio,
quando Ninive cum populo suo litigabit in ipsis personis [5]. 15

45 Salutem dico unguibus pedum tuorum, euge!
in spiritali salutatione;
Basilides martyr, qui multa tormenta perpessus es,
ecce frumentum laudis tuae pervenit ad messem,
cum salvatione tua retribue mihi gaudium mercedem meam. 20

46 Salutem staturae tuae, quae est sicut arbor palmae et cedri,
quam rigavit et nutrivit torrens Iordani fluvii;
Basilides Yachum, Basilides Balaz [6],
plantavit te in domo sua et in iucundo palatio regni sui
Christus, qui est Salomon et rex potens. 25

47 Salutem effigiei tuae, in qua vere affixa est
effigies Adami corporalis et natura spiritus subtilis;
Basilides, quia tormenta sedulo perfecisti,
obfirma me ab omni lapsu, dum loquor tecum,
sicut ancora obfirmat navem. 30

[1] *Ps.* I, 1. — [2] *Gen.*, III, 14, 15. — [3] *Gen.*, XLIX, 17. — [4] Cf. III *Reg.*, XI, 1; id est, libidinosus non erat? — [5] Obscurum est nobis sensum huius versus. — [6] Cf. III *Reg.*, VII, 7 (LXX).

48 Salutem exitui animae tuae e puro domo corporali,
per cultrum acutum et per aciem gladii acuti;
princeps martyrum, Basilides, sponse hilaris,
tempore exitus animae tuae, voce calamitatis et planctus,
5 viri urbis flebant dicentes: Heu!

49 Salutem cadaveri tuo, cadaveri christianae oblationis [1],
quae sanctificatur sanguine agni mysterii quod est oblatio mis-
Basilides, martyr, pater Eusebii et Macarii, [sae [2];
a me semper averte et aufer in perpetuum
10 omnem invidiam et omnem tribulationem.

50 Salutem involucro corporis tui, quod involverunt iusti Ex-
in veste carbasina [3] pura et in sanguine uvae [4]; [celsi
Basilides Iuda, catule leonis validi [5],
ascende e latibulo tuo [6] et e fovea tua angusta,
15 ut adversarios vitae meae occidas in deserto et in agro.

[cerunt
51 Salutem sepulchro tuo, ubi patres antiqui requiescere fe-
corpus tuum, quod est margarita, quia sepulcrum est concha
[illius margaritae [7];
laudem effigiei tuae, Basilides, scribam usque in aeternum;
dic fratribus tuis: Scribite super tunicam Christi,
20 ut coniunctim legant eam angelorum myriades.

52 Salutem; salutem obtuli ad computum membrorum effigiei
dum unum alteri postpono, a capite usque ad pedes; [tuae
Basilides, nobilis martyr Filii Dei,
accipe hunc canticum meum sicut odorem suavem nardi,
25 et sicut sacrificium, quod sacrificatum est in area sua.

---

[1] ዐንፌራ, ἀναφορά, oblatio (DILLMANN, *Lex. aeth.*, col. 993). — [2] ጵርስ ፎራ, προσφορά, oblatio (DILLMANN, *Lex. aeth.*, col. 1251). — [3] ገርዜን, καρπάσινος (ESTH., I, 6), linteum carbasinum, subtilissimum (DILLMANN, *Lex. aeth.* col. 1157; PLIN., *Hist. nat.*, XIX, IV, 2). — [4] *Gen.*, XLIX, 11. — [5] *Gen.*, XLIX, 9. — [6] *Gen.*, XLIX, 9. — [7] ሰደፍ, ጸደፍ [سدف, صدف], concha margaritifera (GUIDI, *Voc. amar.-ital.*, col. 192 et per litteras suas).

CARMEN IN LAUDEM BASILIDIS[1].

1 Salutem tibi, qui equitavisti equum velocem,
quo celerior non est ventus,
ad bellum gerendum inimicis armatus sancta Cruce;
vir virtutis, Basilides, quod hilaritas tua fuit clava[2]. 5

2 Salutem[3]; sicut usque ad viam remotam
annexio mali punici cum cymbala auri[4]
est unio tua cum habitu iustitiae.

3 Salutem; Basilides, similis es grano seminato,
quod post obitum tuum invenisti felicitatem 10
in promissione cum iuramento.

4 Salutem; tempore belli et proelii,
Basilides valide,
cum equitares, equus tibi dicebat: Euge!
quia tu laudatus in certamine eras. 15

5 Salutem; sicut est mos tuus,
surge, Basilides largitor,
donec videamus opera tua mirabilia;
discindas hostem et oppressorem,
per potentiam tuam potentiam hostis victoris. 20

[1] Huius carminis satis obscurus nobis est sensus. — [2] In ms. ዶሙስ legitur, forsan pro ዶቡስ vel ዶንቡስ, clava. — [3] In ms. deest verbum ሰላም; sed versus 5, 6, 7 stropham unam constituunt. — [4] Cf. *Ex.* xxviii, 33 et seq. (aeth. 29 et seq.).

II

GADLA YOSṬOS

SEU

MARTYRIUM SANCTORUM IUSTI

ET ABOLI EIUS FILII, ET THEOCLIAE EIUS UXORIS

Martyrium sanctorum Iusti, et Aboli eius filii, et Theocliae eius uxoris, scriptum est haud dubie in Aegypto, sed textus graecus vel copticus, aut eius versio arabica, nondum reperta sunt.

Aethiopicae versionis huius Martyrii nota sunt apographa tria, quae continentur in codicibus:

Abbadianis: n° 54 (antiquo) et n° 179 (XVII saec.);
Musaei Britannici: Orient. 686 (XVIII saec.).

In epilogo Martyrium adscriptum est Sergio, domestico sancti Aboli; asseritur quoque versionem aethiopicam factam esse ex arabico idiomate, curante abba Salama papas (metropolita) Aethiopiae, qui XIII saeculo floruisse videtur.

Textum versionis aethiopicae dedimus ad fidem codicis Abbadiani n° 54, et in notis addidimus lectiones varias e codice eiusdem collectionis n° 179.

Effigies Iusti, quam dedimus ad fidem codicis Abbadiani n° 170 (fol. 74 *v.*—75 *r.*), habet strophas septem; earum quaeque constat versibus quinque.

Aliud carmen in laudem Iusti, quod sequitur Effigiem in eodem codice Abbadiano (fol. 75 *r.*—75 *v.*), etiam ad-

didimus. Strophis septem constat, earum quaeque versibus tribus, praeter postremam quae quatuor versibus constat.

Effigies Aboli quam dedimus ad fidem codicis Abbadiani n° 170 (fol. 75 *v.*—76 *r.*), habet strophas decem; earum quaeque constat versibus quinque.

Aliud carmen in laudem Aboli, quod sequitur Effigiem in codice Abbadiano (fol. 76 *r.*—76 *v.*) etiam addidimus; strophis septem constat, earum quaeque versibus tribus, praeter postremam quae quatuor versibus constat.

De hoc Martyrio consulendum est opus Amélineau, *Les Actes des Martyrs de l'Église copte*, Paris, 1890, p. 177.

MARTYRIUM SANCTORUM IUSTI
ET ABOLI EIUS FILII, ET THEOCLIAE EIUS UXORIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, unius Dei. Incipimus, cum auxilio Dei et cum pulchritudine eius doni, 5 scribere certamen sancti et nobilis summi regis, Iusti, et Aboli eius filii, et Theocliae eius uxoris; eorum benedictio et oratio custodiat nos et liberet nos, et adsit nobis, amen; et servet nos a malo hoste, amen. Et memoria Aboli fit quarto die mensis nahasē.

10 Accidit autem, cum Diocletianus, defector a lege, regnaret super thronum regni Romanorum, et Persae audivissent virum alienigenam in throno regio sedere, ii surrexerunt adversus eum, et voluerunt ab eo auferre regnum, et deiicere ab honoribus imperii; et magna perturbatio fuit inter omnes Romanos. 15 Et Antiochiae erat quidam vir, magnus princeps consiliariorum, qui appellabatur Iustus; et is erat filius sororis regis; et reliquerunt eius pater et eius mater multas divitias innumerabiles, ei et eius fratri Hermano; et Hermanus erat maior eo. Iustus autem erat perfectus omni pulchritudine, et in eo habitabat 20 gratia Dei. Et cum beatus Iustus videret Hermanum fratrem suum virum paganum esse, diviserunt inter se omnes divitias suas, et ab illo Iustus seiunxit se. Et Iusto erant adhuc multae aliae divitiae, praeter eas quas hereditate acceperat a parentibus suis, ita ut ei essent MDCCC litrae auri, et MDCCC litrae 25 argenti, et gemmae, quarum pretium erat magnum, et MM fundi, scilicet vinearum M et hortorum M, et M domestici milites parati ad bellum, et M ancillae et earum filii, et M naves, quae navigabant in *mare, praeter pecora, quae erant innumerabilia, et M mulas, et CCCC equos albos, et CCCC equos ex quibus- 30 cumque coloribus; et plane nullus erat qui ei similis esset, in toto orbe, propter eius virtutem et eius laudes. Et Dominus Iesus Christus amabat eum propter eius bona opera, quae ille faciebat erga pauperes et egenos, ex bonis et eleemosynis. Et ille eleemosynas dabat quotidie XX dinarios mutilis, et viduis, 35 et nudis, et eis qui erant in carcere. Et in urbe Antiochia nullus erat, ne rex quidem, sine eius consilio et eius beneplacito. Et cum haec audivisset rex Diocletianus, et Maximianus,



et Hermanus, et omnes primores arcis, surrexerunt ipsi, et venerunt ad beatum Iustum, ut cum eo deliberarent de Persis, qui surrexerant adversus eos. Et cum certiorem fecissent Iustum dicentes: « Rex Diocletianus, et Maximianus, et Hermanus, frater tuus, ecce pervenerunt; en eos; foras adsunt ad ianuam, 5 et volunt tecum convenire »; ille iussit ut ingrederentur. Et cum ingressi essent, Diocletianus praeivit, et primus adoravit Iustum, et post eum Maximianus, et post eos omnes primores regni dicentes: « Salus regi qui constituit reges, magno principi consiliariorum per vim Romanorum ». Sed eo tempore 10 Iustus iussit eos sedere. Et Diocletianus adstitit coram eo, et dixit ei: « Domine mi, tu mihi dedisti regnum hoc, et nemo transgredietur iussa tua, nec praecepta tua, nec potestatem tuam; et nemo faciet quidquam sine te. Et ecce adsunt Persae qui surrexerunt adversus nos, domine noster; et 15 volunt auferre a nobis regnum. Scito igitur, quemadmodum nos iussus fueris, ita agemus ». Et Iustus dixit ei: « Para te p. 83. et omnes copias tuas, ut *eamus cras, et dimicemus cum eis ». Et tunc adoraverunt eum Diocletianus et omnia castra dicentes: « Vivat dominus noster! »; et exierunt ab eo. Et Iustus erat 20 strenuus pugnator et peritus in bello; et Deus iniecerat timorem ab eo in cordibus omnium regum mundi; et cum memorabant eius nomen coram eis, tremebant timore. Et ei erat uxor sua, pura sicut Sara, uxor patris nostri Abrahami, cui nomen erat Theoclia; et nonnisi filium babebant, qui duodecim annos 25 natus erat, vocatum nomine Aboli; et eis erat unicus; et amabant eum valde.

Et postridie pararunt se ut irent ad bellum; et profectus est ad bellum beatus Iustus, et *cum eo* eius milites, et mille eius servi strenui in bello. Et cum profecti essent ad bellum, 30 viderunt quam multi valde erant Persae, sicut arena litoris maris; et Diocletianus et eius exercitus timuerunt magno timore. Et erat quidam vir e gente Iusti; et eius nomen Theodorus Anatolius; et erat egregius pugnator in bello; et ille erat dux in exercitu Iusti; et adstitit coram beato Iusto, et 35 dixit ei: « Domine mi, quid nunc faciemus, cum Persae multo plures nobis sint? » Et beatus Iustus dixit ei: « Age, descende ex equo tuo, ut oremus ad Dominum nostrum Iesum Christum, et mox ille nos audiet ». Et descenderunt igitur ex equis suis,

sanctus Iustus et Theodorus, et prostraverunt se genubus suis
simul, et protenderunt manus suas ad orientem, et oraverunt
ita dicentes: « O Deus omnipotens, Pater Domini nostri et Dei
nostri Iesu Christi, tu qui audivisti orationem patris nostri
5 David, et obfirmasti eum scientia tua, donec contriverit Phili-
steum in nomine tuo, et Israel laudatus est propter te: audi
nos ipsos hodie. Tu qui audivisti prophetam Moysem, et libe-
rasti eum a Pharaoh: audi nos ipsos hodie. Tu qui audivisti
Iesuam, filium Nun, cum rogavit te, et sistere fecisti *solem pro p. 84.
10 eo, donec eradicaverit inimicos suos, et susceperit victoriam:
audi nos ipsos hodie. Et tu scis, Domine noster, a nobis iussa
tua non contempta esse, et non esse nobis spem aliquam nisi
in te; et tibi est potentia, et gloria, per saecula saeculorum.
Amen ». Et cum dixissent haec beatus Iustus et Theodorus,
15 ecce descendit vox de caelo dicens: « Vincite, victores, et
fortes estote, validi; vos quos ego dilexi; non est qui similis
sit tibi, dilecte mi Iuste, in omni terra. Estote strenui et va-
lidi, quia ecce tradam Persas in manus vestras cum eorum urbe.
Salus mea erit vobiscum. Amen ». Et cum audivissent haec
20 beatus Iustus et beatus Theodorus Anatolius, surrexerunt quidem
eo tempore, et conscenderunt equos suos, et adstiterunt ad
bellum. Et cum sanctus Theodorus spectavisset in mediam
partem Persarum, vidit Nicomedem, filium regis Persarum,
sedentem in equo suo; et ille erat pugnator valde validus
25 in bello. Et beatus Theodorus incensus est contra Nicomedem,
filium regis Persarum; et irruit in eum. Et cum Persae vidis-
sent eum, converterunt se retrorsum, et fugerunt; et Theo-
dorus prehendit eum, et ut descenderet ex eius equo fecit, et
traxit eum capillis capitis eius, et adduxit eum ad Iustum; et
30 Iustus cepit eum, et adduxit eum ad Diocletianum. Et Diocle-
tianus, cum vidisset eum, descendit ex equo suo, et prostravit
se ante beatum Iustum ter super terram, et osculatus est plantas
pedum eius dicens: « Vivus esto, domine mi Iuste, quod pote-
stas tua est super me et super urbem Romam ». Persae autem,
35 cum vidissent quid accidisset domino suo, converterunt se re-
trorsum, et fugierunt magna ignominia.

Et ex eo die Iustus constituit Theodorum ducem super exer-
citum suum; et ingressae sunt cohortes Romanorum in eorum
urbem magno cum honore. Et postea Diocletianus tradidit filium

p. 85. regis Persarum *abba archiepiscopo in depositum, et dixit ei: « Custodi eum, donec eius pater velit eum ». Et paucos post dies, rex Persarum misit multas divitias ad archiepiscopum, et rogavit eum ut solveret filium suum, et sibi mitteret eum clam.

Et postea cohortes Romanorum surrexerunt rursus contra 5 Persas, et exierunt Iustus et rex Diocletianus, ut eis obviam venirent. Et cum adsisterent coram Persis, Iustus adspexit in mediam partem eorum cohortum, et vidit Nicomedem in medio eorum, et dixit Theodoro: « Estne is quem cepimus olim, et quem tradidimus archiepiscopo? » Et Theodorus respondit ei, 10 et dixit ei: « Sane, domine mi, ipse est; sed nescimus quomodo evaserit ». Et eo tempore Theodorus cucurrit, virtute quae ei data fuit a Christo, et prehendit eum capillis capitis eius, et eduxit eum ex cohortibus Persarum; et nemo fuit cui permisit ut videret eius vultum, donec adduxit eum ad Iustum; et 15 Iustus adduxit eum ad Diocletianum. Et cum Diocletianus vidisset eum, miratus est valde, et descendit de equo suo, et prostravit se ante Iustum dicens: « Tu honoratus et laudatus sis a Deo et ab hominibus, domine mi, quia regnum Romanorum stetit per te ». Et Iustus dixit Nicomedi, filio regis Persarum: « Dic mihi: 20 quomodo salvus fueris, donec huc pervenisti? » Et ille certiorem fecit eum de iis quae facta sunt circa se. Et Theodorus dixit Diocletiano: « Suscipe eum, et i in urbem. Ego autem manebo in Persia aliquot annos, donec obfirmaverim adversus eos bona opera, et congressus fuerim cum eis, et illi dent mihi tributum 25 et dona; et constituam super eos regem ex nostris, et postea regrediar ad te in pace ». Et Diocletianus dixit ei: « Vivus esto tu, domine mi; et nemo transgredietur iussa tua ». Et postea ingressus est *in urbem Persarum Iustus, et cum eo Theodorus, amicus eius, qui erat dux cohortum eius; et adversus 30 eos bellum gesserunt, et vicerunt eos, et ingressi sunt in arcem, et occiderunt regem, et pro eo sedit ipse Iustus in eius throno, et iussit ad se venire omnes primores Persarum.

p. 86.

Et Diocletianus profectus est, et ingressus est in urbem Antiochiam; et nuntium misit ad archiepiscopum, qui dicat: 35 « Adduc ad me filium regis Persarum, ut ego eum remittam ad eius patrem; quia omne hoc bellum fuit propter eum ». Et archiepiscopus dixit ei: « Ille mortuus est, et ecce eius corpus est apud me ». Et rex dixit ei: « Si autem accidit ut is mor-

tuus sit, sedulo cura cras de missa *celebranda*, ut accipiamus benedictiones sacramentorum sanctorum; et postea mihi iurabis per corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, mortuum esse virum quem tradidi tibi ». Et mane archiepiscopus curavit de missa *celebranda*; et rex ingressus est in ecclesiam christianam; et quando archiepiscopus pervenit ad elasbasemasa, quod est salutatio, eo tempore rex prehendit eum dicens: « Iura mihi nunc, mortuum esse virum quem dedi tibi ». Et archiepiscopus iuravit super altare dicens: « Profecto mortuus est ille vir quem dedisti mihi, et sepelivi eum ». At tunc rex miratus est, et obstupuit per longum tempus, dicens in animo suo: « Num forte descendet ignis super archiepiscopum, et is comburetur coram omni populo? » Et cum rex vidisset nullum malum ei evenisse, miratus est valde et obstupuit. Et post haec rex iussit adduci Nicomedem, filium regis Persarum; et stetit coram archiepiscopo, et dixit ei: « Cognoscis ne hunc? » Et eo tempore archiepiscopus fuit in magna tristitia, et dixit ei: « Condona mihi, domine mi, quia peccavi coram te; sed paratus sum ad mortem propter opera mea mala ». Et Diocletianus praecepit quidem ut *liquefacerent argentum, et id effunderent in gutture archiepiscopi; et mox is mortuus est. Et postea Diocletianus iussit occidi presbyteros, et diaconos, et omnes praepositos. Et tunc praecepit ut destruerentur ecclesiae christianae, et construerentur templa idolorum. Et iussit convenire omnes gentes urbis, viros et feminas omnes, iuxta templa idolorum, et ista ornari valde; et tunc rex surrexit, et prostravit se ante idola, et obtulit tus dicens: « O Apollo, magnus deus, mihi esto propitius ». Et cum id fecisset, dixit omnibus ducibus suis: « Quemadmodum vidistis me fecisse, ita facite etiam vos ». Et cum igitur audivissent haec a rege, obtulerunt tus omnes eadem hora ad simulacrum Apollinis, quod illic positum erat.

p. 87.

Sed iuvenis, qui appellabatur Victor, Hermani filius, summi consiliarii, non obedivit regi, neque *tus* adolevit *coram* deis eius impuris; nam ille erat vir qui amabat Deum ex adolescentia sua, et orabat die nocteque sine intermissione. Et eius pater iussit eum offerre et voluit eum occidere. Et rettulerunt Diocletiano quod Hermanus volebat occidere Victorem filium suum, quia is non fecit iussa regis, nec *tus* adolevit *coram* eius deis.

Et postea rex nuntium misit ad Hermanum, et dixit ei: « Noli occidere eum in hac urbe, sed relega eum usque in Aegyptum; et si recusaverit obtemperare iussis tuis, iubeo eum occidi illic ». Et cum Hermanus defatigatus esset *frustra* rogando filium suum, ut *tus* adoleret *coram* eius deis, relegavit eum in Aegyptum. Et eodem tempore rex doluit corde suo propter magnum ducem suum Hermanum, quia *is* noluit contristare cor suum omnino; et adduxit eum quidem ad domum suam, et ei fecit (p. 88.) epulas, et dimisit *omnes coetus eodem die usque ad posterum diem; et cum fuit posterus dies, rex praecepit ut distenderent sedem poenae in foro, et iussit venire ad se omnes milites regni. Et postea Diocletianus dixit eis: « Videte Victorem, Hermani filium, cum non fecit iussa nostra heri, quomodo relegabimus eum usque ad Aegyptum, ut illic occidatur? Et si eius pater, quem ego diligo, amicus meus non esset, occidissem eum hic, et eiecissem eius corpus ut id comedant canes, et adhuc proiecissem eius ossa in mare, ut nihil prorsus ex eo inveniretur ». Et dixerunt ei: « Omnia quae de eo iusserit potestas tua, nos faciemus ». Et rex dixit: « Cuique enim, qui exierit hodie secundum cor meum, ut *tus* adoleat *coram* deis, dabo duas minas auri, hoc est litras quattuor et dimidiam litram auri ». Et cum haec audivissent, iverunt omnes ad delubra idolorum impurorum ex ligno et lapide.

Et completis annis duobus et mensibus sex, Iustus, cum esset inter Persas, paravit se ad redeundum domum suam. Et rex Diocletianus tunc *tus* adolebat *coram* deis suis impuris; et postea Hermanus dixit Diocletiano: « Cur nuncium non misisti ad Aboli, filium Iusti, fratris mei, ut hic adsit, et laetetur coram deis, et *coram* eis *tus* adoleat etiam ille? » Rex igitur iussit eum venire; et cum Aboli pervenisset, rex dixit ei: « Cur non vidi te, fili mi Aboli, per biennium usque ad hunc diem; et *cur* non venisti ad me, et me non rogasti, ut videres magnam gloriam quae cingit deos, et *tus* adoleres *coram* idolis? Necisne quantum te diligo, quia tu es prudens et sapiens? Et etiam diligo patrem tuum valde, quia ille dedit mihi hoc (p. 89.) regnum. *Veni igitur nunc etiam, ut *tus* adoleas *coram* deis et magno Apolline; quia ego diligo te, fili mi, propter prudentiam tuam et sapientiam tuam ». Eo tempore sanctus Aboli respondit ei, et dixit ei: « O cor malum, maledictum

et reprobatum, quia iam de familia tua dictum est malam familiam esse! Ubi est enim Iustus, pater meus, ut imponat frenum ori tuo, et evellet oculos tuos, eosque ponet in manibus tuis, et eiiciat te extra hanc urbem, ut elemosy-
5 nam peteres per omne reliquum tempus vitae tuae? Visne igitur ut ego desererem Dominum meum Iesum Christum, qui creavit caelum et terram, et adorarem Apollinem, simulacrum caecum et mutum, sicut tu *fecisti,* prave? Et si non desiveris, caecus eris, et eleemosynam petes ad portam huius
10 urbis, et morieris morte mala, et invenies tormentum et vermem qui non dormit ». Et cum Diocletianus audivisset haec verba, dixit primoribus suis: « Multa est admiratio mea de hoc iuvene propter eius verba ad me ». Et postea tradidit eum Hermano, summo consiliario, fratri eius patris, qui loquere-
15 tur cum eo verbis mansuetis, *et suaderet ei* ut *tus* adoleat *coram* deis. Et Hermanus, frater eius patris, accepit eum, et induxit eum in domum suam. Et cum fuit posterus dies, dum ille est apud eum, pervenit fama Iusti patris eius: hunc *nempe* redire e bello Persarum. Et cum ille esset prope urbem, spa-
20 tium circiter duorum itineris dierum, tunc surrexit Diocletianus et omnis exercitus Antiochiae magno cum honore. Et Iustus, magnus princeps consiliariorum, cum vidisset filium suum Aboli non exivisse obviam sibi, sicut ei mos erat, miratus est; nam quando iter faciebat et ingrediebatur in urbem, Aboli
25 eius filius exibat ad suscipiendum eum; doluit enim valde cor eius. *Et cum pervenisset ad domum suam, exiit Theoclia, uxor eius, obviam ei, et prostravit se coram eo, dum illa plorat; et Iustus dixit ei: « Quid plorare te facit, et quid accidit tibi? » Et Theoclia dixit ei: « Ecce iam biduum est, quo Diocletianus
30 comprehendit Aboli, filium tuum, et coegit eum ut *tus* adoleret *coram* deis suis, et non sivit eum venire ad me ». Et cum Iustus haec audivisset, iratus est valde, et dixit uni ex servis suis: « Abi iam ad illum maledictum, et dic ei, ut mittat ad me filium meum, quod non est illi potestas super eum ». Et
35 dum verbum est in ore eius, ecce Aboli, eius filius, ingressus est, et amplexus est patrem suum. Et coepit eius pater, et dixit ei: « Quid tibi factum est hodie, fili mi? » Et Aboli dixit ei: « Diocletianus dimisit a se Deum caeli et terrae; et sibi fecit deos, et adoravit eos, et occidit abba archiepiscopum, et epi-

p. 90.

scopos, et presbyteros, et diaconos, et omnem coetum ecclesiae christianae; et evertit ecclesias christianas, et aedificavit templa idolorum pro deis, et fecit ut homines huius urbis et mundi universi una offerrent eis sacrificia. Et ecce quoque, dum per biduum habitatio mea est in domo Hermani, is astute egit in 5 me, ut ego *tus* offerrem deis; et cum vidisset te, mox dimisit me ». Et cum Iustus audivisset verba Aboli, filii sui, plenus fuit ira; et praecepit ut vocarent ad se omnes magnates regni, quod habitabant extra portas urbis. Et cum ingressi sunt, Iustus dixit eis: « O vos, qui estis sine sapientia et privati corde et 10 scientia, obedivistis uni viro, quem Deus perdet, et reliquistis p. 91. *Deum caeli? At ille vir pravus est, et non est ei potestas super nos, ut evertat ecclesias christianas, et occidat hunc populum, et mandet hominibus ut reliquant Deum a se ipsis, et adorent idola; sed ego ita non relinquam eum. Et nunc etiam parati 15 igitur estote cras, et venite huc ad me, et videbitis quid faciemus huius rei causa. Vivus est Deus, Iesus Christus, rex magnus; ego imponam in eius collo catenam, sicut in cane, cui imponitur collare, et evellam oculos eius, et proiiciam eos in manus eius, et expellam eum extra urbem hanc cum igno- 20 minia; et faciam, ut ille petat eleemosynam per omnes dies vitae suae, quia ausus est facere haec opera abominanda coram Deo omnipotenti ». Et omnes responderunt ei dicentes: « Vivus es tu, domine noster; quis transgredietur iussa tua? Et omnia quae tu praeceperis, statim nos faciemus ». Et factum 25 est tempus vesperae, et exierunt ab eo in pace. Et postea Diocletianus scivit quomodo Iustus locutus erat, et timuit valde timore magno; sciebat enim neminem esse qui impediret eum quominus faceret id quod volebat; et Diocletianus, et Maximianus, et Hermanus ingressi sunt in arcem, et portas clau- 30 serunt super se; et timor non reliquit eos ut exirent, per septem dies, prae suspicione. Sed beatus Iustus non comedit, neque bibit ea nocte, sed ingressus est in cellam, quae constructa erat ebore, ipse cum filio suo Aboli, et vigilarunt tota nocte; et Theoclia, eius uxor, sola erat etiam in alia cella. 35

Et Iustus, et Aboli, eius filius, et Theoclia, eius uxor, steterunt orantes ad Deum multis prostrationibus et postulationibus innumerabilibus, donec orta est lux. Et cum fuit mane, dum p. 92. illi stabant orantes, *ecce Dominus noster Iesus Christus, ei sit

honor et gloria, apparuit coram eis, et eis dedit pacem et bonam salutationem. Et illi, cum vidissent magnam gloriam quae orta est, eo tempore timuerunt et ceciderunt in faciem suam super terram; et ut surgerent fecit Dominus Iesus Sal-
5 vator, et dixit Iusto: « Ne timeas, Iuste, dilecte mi, sed esto vir strenuus et pugnator propter Dominum Iesum Christum, et victor et validus, quia ego appellavi te hoc nomine, cuius interpretatio est virtus et caritas. Et ego etiam dedi tibi omnes has divitias, multo maiores divitiis omnium qui habitant su-
10 per terram, propter eleemosynas et opera bona quae fecisti egenis; et feci ut omnis qui videat te, et audiat nomen tuum, timeat te. Et ego tradidi in manum tuam Persas et omnes eorum urbes. Et nunc etiam desiste, dilecte mi, ab eo quod deliberasti de Diocletiano; quia ei data est potestas ab adole-
15 scentia sua, quia magna est impietas super terram. Et nunc etiam scito hoc negotium permissum esse a me, et a Patre, et a Spiritu Sancto, ut confidant in me servi et martyres in universo mundo. Surge nunc etiam, et reiice omnia quae tibi sunt, et manumitte omnes servos tuos, et adite Diocletia-
20 num, tu, et Aboli filius tuus, et Theoclia uxor tua; et ille relegabit vos usque in provinciam Aegypti, et illic moriemini propter nomen meum. Dico tibi, martyr dilecte, Iuste, quemadmodum dedi tibi super terram, adhuc tibi dabo iam in caelis, et ut sedeas faciam in throno glorioso, et imponam
25 super caput tuum tres coronas, primam propter opes tuas quas sprevisti; et secundam quod peregrinus es *in hac *terra*; p. 93.
et tertiam quod sanguis tuus effusus est propter nomen meum ». Et sancti dixerunt Salvatori: « Nos ignoramus, Domine, eam provinciam; sed esto nobiscum, Domine noster, et nos parati
30 sumus ad perficienda iussa tua ». Et Salvator respondit eis, et dixit eis: « Ne timeatis, martyres mei, quia ducam vos, et obfirmabo vos, et ero vobiscum, sicut fui cum Apostolis puris; estote fortes, et vincite; salus mea erit vobiscum usque in aeternum. Amen ». Et cum Salvator haec dixisset eis, saluta-
35 vit eos, et ascendit in caelos cum gloria ineffabili. Et cum sancti mirarentur ob ea quae Salvator locutus erat cum eis, ecce Theoclia, uxor Iusti, pervenit, et pulsavit ostium; et Aboli, eius filius, surrexit, et ei patefecit illud. Et cum illa ingressa esset, se dimisit et prostravit ad pedes beati Iusti dicens:

« Domine mi, frater, cur nunc permanemus, et quid facimus? Surge nunc, ut perficiamus *certamen nostrum* in loco quo vocati sumus, ego, et tu, et Aboli filius meus. Quid prodest aurum et argentum et hae divitiae transitoriae, prae divitiis Domini nostri Iesu Christi, quae permanebunt usque in aeternum? » 5
Et beatus Iustus dixit ei: « Quid accidit tibi? Et quid igitur vidisti? Dic mihi tandem, soror mea ». Et illa dixit ei: « Frater mi dilecte, cum ego adstarem et facerem orationem matutinam, antequam lux orta esset, ecce ingressae sunt feminae duae pulchrae, et cum eis ibant iuvenes pulchri septies multo 10 magis quam splendor solis; et cum vidissem eos, obstupui, et cecidi super terram; et illi ut surgerem fecerunt, et a me amoverunt timorem; et una ex illis dixit mihi: ' Nonne cognoscis me, quis ego sim? ' Et ego dixi ei: ' Minime, domina mea. ' Et illa dixit mihi: ' Ego sum virgo Maria, mater Iesu 15
p. 94. Christi; *et haec proxima mea, quam tu vides, est Elisabeth, quae est ex familia mea, mater Iohannis Baptistae; et hi iuvenes sunt archangeli Michael et Gabriel, qui adsunt coram Filio meo omni tempore, et egregio Patre eius, et Spiritu Sancto; et ecce venimus ad te; et nunc vocamus te et mari- 20 tum tuum ad nuptias filii mei; et filius meus vocavit te, et maritum tuum Iustum, et filium tuum Aboli ad nuptias veras in caelis. Et proficiscere nunc tu cum marito tuo et Aboli filio tuo iuvene, usque in Aegyptum; et ne sitis duo corda omnino; et estote martyres propter nomen Domini Iesu Christi, Filii 25 mei dilecti; et ne deficiat cor tuum in peregrinatione, quia ego quoque peregrina fui, cum Filio meo Iesu, in terra Aegypti, eis diebus quibus Herodes nos quaerebat. Et nunc etiam, domina mea, noli ancipitem esse, sed abi cum marito tuo sine dubitatione; et non relinquam te ego nec Elisabeth; sed obfir- 30 mabo te, donec perfeceris certamen tuum '. Et cum illa haec mihi dixisset, fecit ut apportaretur vas cristallinum, in quo erat unguentum pretiosum, et effudit illud super caput meum; et unxit totum corpus meum, cum diceret mihi: ' Non praevalebit contra te ulla poena a regibus; salus mea erit tecum 35 in aeternum. Amen '. Et cum illa haec dixisset mihi, salutavit me, et mox abierunt ambae. Dico tibi, frater dilecte, etiam si traderes omnia quibus nos donasti et omnes divitias nostras, non esset pretium huius unguenti. Nonne sentis odorem huius

unguenti? » Et Iustus dixit ei: « Sane, soror mea; sed fiat voluntas Dei ».

Et cum fuit tempus quo sol ortus est, congregati sunt primores urbis, et venerunt ad Iustum dicentes: « Quid nos 5 iubes facere de Diocletiano? » Et Iustus dixit eis: Ite nunc, *unusquisque vir ex vobis ad munus suum; quia oportet rem p. 95. ita se habere ». Et postquam id factum est, Iustus distribuit omnes divitias suas inopibus, et pauperibus, et egenis; et vocavit omnes servos suos, et manumisit eos a maiore usque 10 ad minorem; et dixit eis: « Ex hoc tempore liberi estis; et si quis ex vobis vult mecum manere, faciat ut sibi placet; et is qui vult abire, abeat ». Et cum illo manserunt CC servi eius, et clamaverunt dicentes: « Non autem seiungemus nos a te usque ad diem mortis nostrae ». Et reliqui abierunt, quo vo- 15 luerunt; et dedit unicuique ex iis triginta dinarios auri, et eos vestivit; et quod superfuit, distribuit, omnes *nempe* divitias suas, inopibus, et egenis, et viduis, et orphanis, et peregrinis. Et postea Iustus dixit Theocliae, uxori suae: « Soror mea, ecce omnia quae nos habebamus, distribuimus inopibus; 20 et si annueris, ego relinquam tibi paullum ex his divitiis, et manebis in domo tua apud patrem tuum et matrem tuam, quia mulier es, et non potes contumelias ferre. Et nemo est qui videbit vultum tuum; et poena regum gravis est valde et turpis, nec eam ferres ». Et tunc illa clamavit magna voce dicens: 25 « Quid dicis, frater mi? Nonne mandavit tibi Dominus tuus Iesus Christus, ut tecum suscipias me usque in Aegyptum? Fortasse vis tu solus ire ad caelos, vel diligis teipsum magis quam me, aut seiungemus nos hodie? Nonne sumus ambo, ego et tu, una caro? Nonne audisti tu bonum Salvatorem nostrum, dixisse 30 in Evangelio sancto[1]: Vir relinquet patrem suum et matrem suam, et sequetur uxorem suam, et erunt ambo caro una. Et adhuc dixit apostolus Paulus[2]: *Non est qui unquam possit p. 96. odisse carnem suam. Cur odisti me, frater mi? Vivus est Deus: nunquam me seiungam a te; et morte qua tu morieris, 35 ego etiam moriar ». Et cum Iustus haec audivisset laetus est valde propter magnam eius fidem, et dixit: « Fiat voluntas Dei! »

Et postea dominus Iustus surrexit, et ivit ad Diocletianum;

[1] MATTH., XIX, 5. — [2] *Eph.*, V, 29.

et cum Iustus pervenisset ad eum, ille surrexit, et exiit per quartam portam arcis; et cum Diocletianus vidisset eum, prostravit se coram eo dicens: « Cur venisti, domine mi, tu, pedibus tuis progrediens? Oportet me tibi obviam ire ». Et Iustus dixit ei: « Ego autem volo quiete manere tecum, ut tecum lo- 5 quar de re secreta; et recedant omnes milites ». Et dominus Iustus sedit; et Diocletianus sistebat coram eo; et Iustus dixit ei: « Quid est opus malum quod tu egisti? Reliquìsti Deum qui creavit te, et adoravisti idola, et fecisti ut omnes homines agerent secundum opera tua? Ego autem post haec non ma- 10 nebo tecum. Ecce ego testor tibi hodie, et iuro per nomen Domini mei Iesu Christi, si forte non scripseris mihi epistulam in Aegyptum, ut ego occiderer illic, ego suscitabo hanc urbem adversus te, et occident te ». Et cum Diocletianus haec audivisset, timuit valde, et dixit Iusto: « Domine mi, quis coegit 15 te aut dixit tibi ut *tus* adoleres *coram* deis? Tu autem mane in domo tua, quia nemo coget te, ut facias quod nolueris; tu rex es, et tu constituis reges ». Et Iustus dixit ei: « Audi me, et fac circa me quod ego tibi dico, ne morereris morte mala; nam tu non potes post id facere aliud, quod hoc opus est abo- 20 minandum coram me; sed si iverim, facies quod volueris ». p. 97. *Et Diocletianus timuit ab eo, nam sciebat verum esse *id* quod ei dixerat, et ille potens erat ut faceret quod volebat. Et iussit quidem afferri sibi calamum et chartam, ut scriberet epistulam in Aegyptum ad Armenium; et quidem scripsit ita: 25 « Ego sum Diocletianus, magnus rex in *urbe* Roma; scribo Armenio praefecto Alexandriae: Salutem tibi. Quod Iustus magnus est in potestate Romanorum, et *quod* omnis vir eius domus amat sibi mortem plus quam vitam; ecce tibi mitto eos: Iustum et Aboli eius filium, et Theocliam eius uxorem, et du- 30 centos servos, qui sequuntur eum. Et cum pervenerit ad te, fac de eo secundum potestatem tuam; et si pudet te, et annuet tibi, quia timor non sivit me loqui cum eo in urbe, ne interficerer propter eum; et si recusaverit tibi *parere*, relega eum usque in Aegyptum meridionalem, illum solum, et 35 Aboli eius filium alia via, et Theocliam eius uxorem in alio loco; et ducentos servos interfice apud te in *urbe* Alexandria ». Et cum scripsisset epistulam, ita signavit epistulam. Et Iustus dixit ei: « Para nobis naves, ut proficisceremur cras mane,

ita ut nemo sciat ». Et Diocletianus dixit ei: « Omnia quae mihi mandasti, faciam tibi, domine mi ». Et postea Iustus abiit, et dixit beatae Theocliae: « Para te, soror mea, quia nos profecturi sumus cras mane; abi ut valediceres patri tuo et matri
5 tuae, et fratri tuo, quia hic dies ultimus est quo videbis eos semel in carne ». Et eius uxor dixit ei: « Domine mi, heu quid faciam patri, vel matri, vel fratri? Et in me nihil est qui maius sit amore Domini mei *Iesu Christi, patris orphano- p. 98. rum et iudicis viduarum. Nonne audivisti quod dicit Evangelium
10 sanctum: Qui diligit patrem vel matrem plus quam me, non dignus est me. Et nunc etiam, frater mi, surge, ut eamus ad perficiendum certamen nostrum loco, quo ille vocavit nos ». Et id locuti sunt inter se, et transegererunt totam noctem in vigilia, orando et prosternendo se, donec illuxit. At Diocletianus
15 tradidit epistulam magno militi [1] cui nomen erat Ausanos, et *designati* sunt milites qui cum eo irent. Et tunc dies erat quartus mensis miyazya.

Et postea exiit Iustus, et Aboli eius filius, et Theoclia eius uxor, et ducenti servi eius cum eo, ut conscenderent navem;
20 et nemo agnovit eos. Et Theoclia stetit extra ostium arcis suae, et protendit manus suas, et precata est Deum, ita dicens: « Deus omnipotens, qui adfuisti Apostolis patribus nostris, et ex omni angustia eos liberavisti: audi nos ipsos hodie. Tu qui adfuisti Abrahamo et Sarae, eius uxori, in eorum peregrina-
25 tionibus, et ex angustia regum eos liberavisti: audi nos ipsos hodie. Et duc nos in via qua ibimus, quia nescimus quo eamus; esto nobis auxilio, et nos obfirma, quia tibi est gloria, et Patri tuo egregio, et Spiritui Sancto vivificanti, usque in aeternum. Amen ». Haec dixit beata Theoclia. Et statim audita est vox
30 de caelo dicens: « Ne timeatis, estote fortes, et ite in pace; salus mea erit vobiscum, sicut fuit cum Apostolis electis et puris. Amen ». Et cum haec audivissent, laetati sunt magna laetitia spiritali; et Theoclia osculata est ostium arcis dicens: « Valedico tibi, arx mea, quia post haec non videbo te am-
35 plius. Valedico tibi, domus mea, quia non redibo ad te ». Et cum *beata haec dixisset, exierunt usque ad mare, et con- p. 99. scenderunt navem; et exierunt Antiochia quarto die mensis

[1] Centurioni, vel tribuno.

miyazya, et pervenerunt Alexandriam decimo quarto die mensis miyazya.

Et tribunus exiit cum charta epistulae, quae in manu eius erat, et petivit praefectum Armenium; et eum invenit, cum ille sederet et sicut iudex viros iudicaret. Et tunc praefectus 5 Armenius vidit eum antequam ille appropinquaret ad se, et cognovit eum esse unum ex satellitibus regis; et properavit ad eum eundo pedibus suis; et ei pacem dedit, et sese consalutaverunt; et tribunus tradidit ei epistulam; et ille eam legit. Et cum rescivisset illum Iustum esse magnum princi- 10 pem consiliariorum, qui erat apud regem, timuit ab eo, quod cognoscebat eum, quia ibat saepe Antiochiam ad regem, et viderat eum in eius sede quae erat iuxta regem. Et praefectus Armenius cecidit prosternendo se ante Iustum, et dixit ei: « Quid accidit, domine mi, ut huc venires ita, tanta humilia- 15 tione? » Et sanctus Iustus respondit ei dicens: « Reliqui hunc mundum et eius gloriationem, et spem meam posui in Domino meo Iesu Christo; et moriar propter eius nomen sanctum, ego et gentes domus meae ». Et Armenius respondit ei: « Vere pudet me, domine mi, ita te videndi, qui non es ex iis qui contu- 20 meliam patiuntur; et accurate cognovi te, te virum nobilem esse *scio*, et possidentem multas divitias, et maiorem omnibus viris Antiochiae. Et cum reges audiebant sermonem de te, tremebant metu tui. Et quis ego sum, domine mi, ut sistam coram te et tecum loquar? Et nunc etiam, nobilis domine, si 25 consenseris mecum, manebis quidem in hac urbe, et mihi eris p. 100. pater, et haec urbs erit sub potestate tua, et *ego ero is qui faciet voluntatem tuam ». Et beatus Iustus respondit et dixit Armenio: « Iam reieci omnes divitias meas, et servos meos, et naves meas, quae ibant per mare, e quibus veniebant ad me 30 cotidie multae numero; et sprevi omnia propter salutem animae meae. Num audiam te, et ibo in inferna? Quid sunt ea verba quae coram me pronuntias, Armeni? Quid enim dabis mihi, et quid, sicut haec, erit mihi, si dederis mihi aurum? Nam mihi fuit aurum, si velim, ut emerem te cum omni urbe tua; 35 et dignitas regia fuit mihi, et potestatem regiam reieci a me et nolui eam habere; reliqui omnia ut invenirem misericordiam apud Deum ». Et Armenius dixit ei: « Domine mi Iuste, sed ego nequeo malum tibi facere; sed si vis faciam tibi secundum iussa

regis, ego faciam; et si vis abire, quo vis abi in pace ». Sed sanctus Iustus dixit ei: « Ego autem non veni in hanc urbem ut fugerem a iudicio tuo; sed de me fac quid velis, quia Dominus meus Iesus Christus adiuvabit me ». Et Armenius respondit ei:
5 « Rex iussit me in epistula sua relegare te ad Sahid in urbem Antinoou ad Arianum, praesidem Baho; et Aboli, filium tuum, ad Ptolemeum, praesidem Basta; et Theocliam, uxorem tuam, ad praesidem Sa; et omnino *vetuit ne* relinquam vos convenire unum ad alterum ». Et Iustus respondit ei dicens:
10 « Sicut mandatum est, fac nobiscum misericordiam et prudentiam ». Et Armenius dixit ei: « *Omnia quae velis, faciam tibi, domine mi ». Et sanctus Iustus dixit ei: « Volo ut des nobis servos unicuique unum, ut eat nobiscum, et sollicite curet de corporibus nostris ». Et Armenius respondit ei hac de re, et
15 dedit unicuique ex illis unum servum; et epistulam scripsit *misitque* cum Iusto dicens: « Ego sum Armenius, praefectus Alexandriae; scribo ad Arianum, praesidem Antinoou. Salus tibi sit omnibus horis. Perveniet ad te Iustus summus consiliarius; si ille non *tus* adoleverit *coram* deis, abscinde eius
20 caput acie gladii ». Et postea Iustus conscendit in navem, et cum illo erant milites tres, die vicesimo mensis genbot.

p. 101.

Et post haec Armenius misit Theocliam, eius uxorem, in urbem Sa; et scripsit epistulam alteram, *et misit eam* cum sancto filio Iusti ad Ptolemaeum, praesidem Basta, in qua ita
25 dicebat: « Aboli, filius Iusti, veniet ad te; si deis *tus* non obtulerit, abscinde eius caput acie gladii ». Et cum Theoclia vidisset eos discessisse, surrexit tunc illa quae firma erat et confidens, et protendit manus suas ad orientem, et supplicavit Deo dicens: « Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri
30 et Dei nostri et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui creavit angelos suos spiritum, et ministros suos flammam ignis [1], eos qui laudant eum, cherubim et seraphim, diu noctuque, qui duxit eius apostolum electum Thomam in provinciam Indiae, et eripuit eum ab omni eius angustia: esto nobiscum *hodie.
35 Domine noster Iesu Christe, tu scis, Domine mi, esse nobis peregrinationem *suscipiendam,* et nescimus in quam urbem assument nos; et si relinquent nos coniunctos, Domine noster,

p. 102.

[1] Cfr. *Hebr.*, I, 7.

consolatione fruemur, cum videbimus nos ipsos cotidie, et erit nobis recreatio hac in re. Et nunc etiam, Domine noster, esto nobiscum et nos adiuva, donec perficiamus curriculum nostrum, quia tibi est gloria, et potestas usque in saecula saeculorum. Amen ». Et cum beata Theoclia, quae vera fidelis erat, haec di- 5 xisset, salutavit Iustum maritum suum, et dixit ei: « Te saluto, et tibi valedico, frater mi dilecte; haec est ultima hora, qua te video in carne. Et nunc etiam, frater mi, quanquam peregrini sumus sine nostratibus, non tamen sumus plane peregrini, frater mi, quia nobiscum est Iesus Christus, Dominus noster et Rex 10 noster et auxilium nostrum. Et dixit David pater noster[1]: Hospes ego sum in terra, et peregrinus sicut omnes patres mei. Et alio loco etiam dicit[2]: Sed ego sum vermis, non homo. Et fuerunt peregrini patres, et prophetae, et apostoli, frater mi. Et nunc etiam fortis esto, et vir validus pugna- 15 tor pro Domino tuo, quia pugnator accipiet retributionem suam bonam. Te saluto; salutem tibi, frater mi, donec videamus nos in caelestibus Hierosolymis ». Et post haec rapuit puerum filium suum Aboli, et osculata est eum, et ploravit dicens et plorans: « Valedico tibi; salutem tibi, fili mi dilecte, Aboli, quia non vi- 20 debo te amplius in carne. Valedico tibi; salutem tibi, fili mi dilecte, mihi carus multo magis quam omnis mundus universus et eius omnis honor. Valedico tibi, fili mi dilecte Aboli; salutem p. 103. tibi, dilecte mi, splendor domus meae *et decus mensae meae. Salutem tibi, dilecte mi, Aboli, laetitia cordis mei, et gaudium 25 animae meae; non te post haec videbo amplius. Congregentur apud me hodie omnes bestiae terrae et omnes aves caeli, et plorent ob miseriam meam, quia seiuncta sum a filio meo, a dilecto meo, a luce oculorum meorum, Aboli! Omnes bestiae rapaces eunt cum catulis suis, quo volunt; sed ego seiuncta 30 sum a filio meo, et dilecto meo, et gaudio cordis mei. Et pariter, omnes aves caeli volant, dum pulli sui sunt cum eis in aere, ut doceant eos volitum; sed ego seiuncta sum a filio meo et dilecto meo Aboli! Congregentur mecum omnes mulieres, quae filios genuerunt, et plorent, et lugeant miseriam meam, quia 35 seiuncta sum a filio meo et a dilecto meo. Iuro per vitam tuam, te bonum esse mihi, dilecte mi et fili mi, multo magis,

[1] *Ps.* XXXVIII, 16. — [2] *Ps.* XXI, 6.

quam omnes thesauros mundi. Vivus est Dominus Deus, dilecte mi; utinam, cum profectus es ad arcem regis cum patre tuo, mansisses apud me unam circiter horam, nuncium misissem ex servis ut te adducerent ad me, et amplexa essem te, et osculata essem te, donec satur *sim* tui *fruitione,* quia tu dulcior es mihi melle et saccharo. Saepe pater tuus volebat te sumere et te ad bellum secum ducere, fili mi, propter eius amorem erga te; et restiti ei hac in re valde, quia tu mihi eras carissimus, quod nobis non erat filius nisi tu. Proh! quantus cordis dolor, qui est hodie, et planctus magnus! Nescio quid faciam, quia ponunt te hodie a me alienum et separatum. Hodie *orphanus factus es, sine patre et sine matre, fili mi dilecte; sed haec est voluntas Dei; et sit benedictum eius nomen in aeternum. Et nunc etiam, fili mi dilecte, ne consternetur cor tuum quod seiunctus sis a patre tuo et a matre tua. Fortis esto, fili mi, quia est nobiscum Iesus Christus Dominus noster, et ille est rex noster et auxilium nostrum; et ne dicas, fili mi, te parvum esse diebus tuis, quod natus es annos *tantum* duodecim; nam Dominus dixit in Evangelio sancto [1]: Et cum adducent vos ad reges et ad principes, ne meditemini quid dicetis et quod respondeatis, quia non vos loquemini sed spiritus Patris vestri loquetur pro vobis. Et esto fortis, fili mi, et esto vir validus pugnator Domini tui, et ne relinquas legem parentum tuorum, et ne abneges nomen Domini nostri Iesu Christi, quia ille dixit [2]: Eum qui abnegaverit me coram hominibus, ego etiam abnegabo ante faciem Patris mei, qui est in caelis. Cave, fili mi, ne abneges eum, ut ille etiam non abneget te; et fac ut ego digna sim quae vocarer mater martyris. Salus Domini nostri Iesu Christi sit tecum, amen, fili mi Aboli, donec consummes curriculum tuum in pace ». Cum haec dixisset beata Theoclia plorans, illa osculata est filium suum, et illi conscenderunt navem, et profecti sunt vicesimo die mensis genbot; et transtulerunt Iustum ad Sahid, et Theocliam, eius uxorèm, ad Sa; et acceperunt coronam martyrii in pace Domini nostri Iesu Christi, cui est gloria et potestas in saecula saeculorum. Amen.

Et sanctum Aboli adduxerunt ad Basta, quinto die mensis

[1] Matth., x, 19-20. — [2] Matth., x, 33.

sanē; et eram cum illo ego Sergius, eius servus; et tradiderunt epistulam praesidi Ptolemaeo. Et cum is legisset eam, praecepit ut iniicerent eum in carcerem usque ad posterum diem. Et postero die praeses iussit adduci sanctum Aboli ad
p. 105. tribunal; et cum vidisset eum praeses et omnis *coetus, mirati 5
sunt valde pulchritudinem eius staturae et fulgorem eius vultus, quia erat pulcherrimus. Et praeses dixit ei: « Esne tu Aboli, filius Iusti, summi consiliarii? » Et sanctus dixit ei: « Sane, ego sum ». Et praeses dixit ei: « Cur reliquisti regnum et potestatem magnam in qua fuisti, et huc venisti humiliatione 10
tanta et *tam* magna? Tene coegerunt ut tus offerres deis, et id recusavisti? » Et sanctus Aboli respondit ei dicens: « Ego autem rex sum, filius regis, et christianus, filius christiani: et nemo coegit me ut facerem quicquam me invito. Sed Satan ipse est qui seduxit cor tuum, adeo ut *tus* offerres idolis et 15
relinqueres Deum a te ». Et praeses dixit ei: « Sed ego iuro tibi, per iuventutem tuam et pulchritudinem tuam, et quod tu es filius Iusti summi consiliarii in regno Romanorum, si non *tus* obtuleris abscindam caput tuum acie gladii ». Et sanctus Aboli dixit ei: « Sed ego moriar pro nomine Domini mei Iesu 20
Christi, et confundam te et patrem tuum Satan ». Et praeses dixit ei: « Iam fecisti me iterum filium Satan. Iuro per vitam regum dominorum meorum, puniam te maxima poena ». Et statim iussit ligari puerum Aboli; et collocaverunt eum pronum in ventrem; et verberaverunt eum fuste viridi palmae, 25
donec eius sanguis fluxit super terram et madefecit eam. Et praeses dixit ei: « Dulcisne est poena, Aboli? » Et sanctus dixit ei: « Miser es tu, et poena tua est sicut nihil, quia Dominus meus Iesus Christus obfirmat me supra omnem poenam tuam ». Et praeses dixit ei: « Aboli, ego autem non interficiam 30
te statim, sed puniam te per totum annum, donec viderim num veniet Deus tuus, et te a manu mea liberare poterit ».
p. 106. Et *sanctus dixit ei: « Auge poenam tuam adversus me, et Dominus meus Iesus Christus faciet magnam misericordiam suam erga me, o incredule et rebellis! » Et postea praeses praecepit 35
ut verberarent eius os, donec frangerentur omnia ossa eius oris et eius dentes molares ciderent in terram ». Et eo tempore archangelus Michael descendit e caelis, et tetegit eum, et sanavit eum; et sanus factus est velut si laesus non fuisset.

Et cum praeses vidisset poenam nihil profecisse, iratus est valde, et praecepit ut eius cutis detraheretur, et eam imponerent super eum, et eum circumducerent per totam urbem, dum ille portat eam. Et dum circumducunt eum per totam urbem, imposuerunt capiti eius acetum et calcem vivam, et praecepit ut decoriarent eius corpus panno cilicino, donec eius sanguis flueret sicut aqua super terram. Et eo tempore sanctus dixit: « Domine mi, Iesu Christe, adiuva me hac hora difficili ». Et statim eadem hora archangelus Michael venit ad eum, et corroboravit eius corpus, et id sanavit. Et praeses praecepit ut reducerent eum in carcerem, donec deliberaverit quomodo eum deleret. Et cum sanctus iret in carcerem, orabat ad Deum; et dum orat, ecce Dominus noster Iesus Christus, ei sit gloria, pervenit ad eum, secum habens Michaelem ad latus dextrum et Gabrielem ad latus sinistrum, et dixit ei: « Salutem tibi, electe mi, Aboli pure; esto fortis, neque timeas; ego ero tecum donec perfeceris certamen tuum; et ego corroborabo te ». Et sanctus dixit ei: « Quis es tu, Domine mi, in hac gloria magna? » Et Salvator dixit ei: « Ego is sum qui veni ad te et ad patrem tuum Antiochiae, et dixi vobis ut exiretis a domibus vestris, ut hereditate acciperetis regnum meum ». Et Aboli dixit ei: « Esto mecum, Domine mi, quia ego sum peregrinus in hac urbe, et sum orbus patre meo et matre mea ». Et Salvator dixit ei: « Ne doleas; *ego ero tecum semper ». Et dedit ei pacem, et ascendit in caelos magna cum gloria. p. 107.

Et fuit quidam vir, cui nomen erat abba Ischyrion, et erat ditissimus, et habebat filios duos viros; et eius mercenarii demoliebantur tectum domus, ut id reficerent. Et dives dixit filiis suis: « Adstate his mercenariis, dum demolientur tectum, et id construant bene ». Et cum mercenarii adscendissent in tectum, id ruit super eos, et mortui sunt ex eis sexdecim viri et filii magistratus abba Ischyrion. Et abba Ischyrion tunc comedebat apud praesidem Ptolemaeum; et quidam viri iverunt ad eum, et ei rettulerunt quod acciderat; et statim, relinquens *id* quod edebat, magistratus surrexit, et abscidit vestes suas, et clamavit plorans. Et pervenerunt, et foderunt, et eruerunt eorum corpora e pulvere. Et praeses dixit ei: « Cura ut ferrent eos ad templa, ut sacerdotes orent pro eis,

et forsitan Apollo faciet ut resurgant ». Et cum eos attulissent ad sacrum septum, sacerdotes clamaverunt dicentes: « Deus magne Apollo, fac ut surgant hi viri, qui mortui sunt, quia tu es medicus in hac urbe ». Et cum fessi sunt clamore, nemo tamen eis respondit quicquam. Et sacerdotes maximi dixerunt 5 praesidi: « Sumite hos viros, et portate eos eorum domos, donec Apollo redierit e peregrinatione; et nos quidem implorabimus eum ut faciat illos resurgere, quia ille hodie non est hic ». Et ita tulerunt eos in eorum domos. Et abba Ischyrion surrexit, et pervenit in carcerem, et cecidit ad pedes sancti Aboli, et 10 ploravit dicens: « Serve Dei, miserere paupertatis meae, et p. 108. adiuva me; ego audiam te, *et tecum foedus facio hodie; si Deus tuus fecerit ut surgant illi sexdecim viri et filii mei, qui mortui sunt, ego credam in Deum tuum, cum omnibus viris domus meae ». Et sanctus Aboli dixit ei: « Apporta eos ad me 15 hucusque, ut videas potestatem Domini mei Iesu Christi ». Et postea attulerunt mortuos coram eo; et ille surrexit, et extendit manus suas, et oravit pro eis dicens: « Audi me, Domine mi, Iesu Christe, Fili Dei vivi, quia vocasti me ipsum et patrem meum ad vocationem sanctam, et etiam matrem meam. 20 Te precor, pro benevolentia tua, amator hominum, fac ut surgant hi viri qui mortui sunt, et rursum vivant, ut quilibet cognoscat alium Deum non esse in caelo et in terra nisi te, et Patrem tuum egregium, et Spiritum Sanctum vivificantem, quia tibi est gloria per saecula. Amen ». Et surgens, suscepit 25 pellem suam, quam extraxerant ab eo, et protendit eam super viros mortuos dicens: « In nomine Domini mei Iesu Christi, Filii Dei, surgite vos omnes vivi rursum! » Sumpsit eorum manus, et erexit eos; et adstantes aspiciebant eum. Et eo tempore omnes clamaverunt dicentes: « Unicus est Deus christia- 30 norum Iesus Christus, Deus sancti Aboli ». Et postea abba Ischyrion adoravit sanctum dicens: « Nunc cognovi magnum Deum esse Iesum Christum, et in eum credo ».

Et postea rettulerunt praesidi: « Christianus Aboli resuscitavit filios abba Ischyrion, amici tui, et viros qui cum eis 35 mortui erant; et iam illi vivi sunt, sicut antea fuerunt ». Et praeses erubuit valde, et praecepit ut adducerent sanctum ad p. 109. praetorium; *et dixit ei: « Nonne iam paratum est cor tuum *tus* deis offerre? » Et sanctus Aboli dixit ei: « Maledictus es tu,

et maledicti et impuri dii tui sunt ». Et praeses praecepit ut collegerent fustes vitis et stipites qui eis similes sunt; et iniicerent ignem in eis, et ponerent eos in collo sancti, et vincirent eius manus et eius pedes, et iniicerent eum in ignem.
5 Et flamma ignis adscendit quindecim cubitos. Et sanctus oravit ad Deum dicens: « Domine mi et Deus mi Iesu Christe, Salvator egregie, audi precationem meam. Tu audivisti Ionam in ventre ceti: audi precationem meam hodie. Tu audivisti tres iuvenes, et eripuisti eos e fornace ignis, quae accensa erat: audi me
10 hodie, et salva me ab hoc igne, qui accensus est. Tu audisti Danielem, et servasti eum ab ore leonum: audi me quoque hodie ». Et cum sanctus Aboli haec dixisset, ignis adscendit et combussit duodecim viros e sacerdotibus Apollinis. Et sanctus stabat in medio ignis et nihil contigit ei omnino. Et cum
15 adstantes vidissent quod acciderat, clamaverunt dicentes: « Unicus est Deus sancti Aboli; et non est alius nisi ille ». Et ii qui circumstabant, viri quadraginta circiter, et mulieres viginti, clamaverunt dicentes: « Nos christiani sumus publice ». Et praeses Ptolemaeus iratus est, et iussit abscindi eorum
20 capita acie gladii; et illi consummaverunt martyrium suum vicesimo die mensis maskaram, et acceperunt coronam sanctam in pace Dei. Amen.

Et post haec sanctus venit, et stetit coram praeside, et dixit ei: « Erubesce nunc igitur, praeses et Apollo impure, quia Do-
25 minus meus Iesus misit angelum suum, et servavit me ab igne ». Et postea praeses scidit *vestes suas, et dixit ei: « Abi nunc a me, venefice; quia fecisti ut vacillaret regnum meum ». Et postea praecepit ut comprehenderent sanctum, et expellerent eum ex urbe, et clauderent huius portas ne ingrederetur in eam.
30 Et tunc expulerunt sanctum extra urbem, et clauserunt huius portas. Et martyr stetit, et oravit dicens: « Domine mi, Iesu Christe, Domine dominorum, et Rex regum, audi me hodie. Tu qui audisti Petrum, principem discipulorum, Apostolorum purorum, et ei aperuisti portas ferreas: audi me hodie, et aperi
35 mihi hanc portam, ut laudetur nomen tuum sanctum, quia tibi est gloria usque in saecula. Amen ». Et cum sanctus Aboli haec dixisset, ecce Salvator apparuit ei, et Michael et Gabriel cum eo, et dixit ei: « Esto fortis, et vince, electe mi, Aboli; salus mea erit tecum ». Et tetigit ianuas, et statim apertae sunt.

p. 110.

Et Salvator dixit ei: « I, electe mi, Aboli, et confunde istum incredulum; et ne timeas, ego ero tecum. Et iam tibi paravi coronas tres, unam propter divitias tuas quas sprevisti, ut sequereris me; aliam propter virginitatem tuam; et aliam propter sanguinem tuum, qui effusus est propter nomen meum ». 5
Et Salvator ei dedit pacem, et adscendit in caelos magna cum gloria. Et postea sanctus ivit ad praesidem, et dixit ei: « Confusus sis nunc, incredule, quia tu expulisti me ex urbe; sed Dominus meus Iesus Christus aperuit mihi ianuas, et fecit ut ingrederer, ut confundam te et patrem tuum Satan ». Et praeses agitatus 10
est, et dixit primoribus: « Quid faciemus huic iuveni; quia nunc confudit me, et irrita fecit omnia consilia? » Et eius viri dixerunt ei: « Iniiciamus eum in carcerem, donec deliberaverimus quid faciamus ei ». Et praeses praecepit ut iniicerent sanctum Aboli in locum tenebrosum, cuius odor erat 15
p. 111. turpissimus; *et imposuerunt eius manibus et pedibus catenas, adeo ut nequibat se erigere. Et sanctus protendit manus suas, et oravit dicens: « Domine mi, Iesu Christe, illumina me, et ne relinquas me in his tenebris; nam tibi est potentia super omnia ». Et nondum completa erant verba eius oris, ecce Sal- 20
vator apparuit ei dicens: « Salutem tibi, caste mi, Aboli electe; esto fortis, neque timeas, quia post duodecim dies iudicabit te is incredulus, et consummabis curriculum tuum in pace, et anima tua recipietur in caelos, et requiesces cum omnibus sanctis in regno meo ». Et sanctus respondit ei, dicens: « Domine mi et 25
Deus meus, cupio matrem meam videre in corpore, antequam consummem curriculum meum ». Et Salvator dixit ei: « Sunt menses duo et dies decem ex quo mater tua requievit, et consummavit curriculum suum bonum, et accepit coronam pulchram et sanctam in caelis. Sed ego adducam eam ad te, et 30
in eius manibus erunt coronae quas illa imponet capiti tuo. Dico tibi, dilecte mi, Aboli, ecce ego disposui ut sederes in sede, quae plena est gloria, et tu, et pater tuus, et mater tua; et venient omnes martyres, et vos adorabunt, quia nemo est in terra qui similis sit vobis; nam vos reges, filii regum, re- 35
liquistis regnum huius mundi et secuti estis me; et eodem modo Victor, filius Hermani, fratris tui patris, quia ille quoque pertinet ad domum regiam ». Et sanctus dixit ei: « Domine mi et Deus meus, ubi sepelietur corpus meum in terra, quia ego

peregrinus sum in hac provincia et mihi non sunt neque pater neque mater neque fratres neque familia in hoc mundo? Et nemo fuit unquam qui esset peregrinus qualis ego ». Et Salvator dixit sancto Aboli: « Ego infudi gratiam in cor abba Ischy-
5 rion, cuius filii ut surgerent ex mortuis causa fuisti, et *adsistet tibi, et involvet pulchrum corpus tuum, et deponet illud apud virum egregium, cui nomen est Iosephus, in parvo oppido quod est infra Basta, et aedificabit tibi parvam ecclesiam christianam in eodem oppido, et deferet corpus tuum ad
10 eam, et fiet magnum oppidum, et vocabitur nomine suo Psoi; et faciam ut archangelus Michael ministret corpori tuo. Dico tibi, dilecte mi, Aboli, omnem virum, qui erit in angustiis, et postulaverit auxilium nomine tuo, ego audiam, et annuam ei. Et quicumque aedificaverit martyrium in nomine tuo, ego
15 faciam ut habitet in habitatione quam paravi tibi in regno meo. Et quicumque scripserit certamen tuum, in labore quem suscepisti propter nomen meum, ego scribam eius nomen in alis quattuor bestiarum quae adsunt coram throno meo, ut eius sit pulchra memoria coram omnibus angelis, et faciam ut
20 requiescat in sinu Abrahami, Isaaci et Iacobi; et faciam ut alat se bonis paradisi. Et si fecerit peccata multa, sed paenitentiam egerit, cum rogaverit me in nomine tuo, ego remittam ei omnia eius peccata, et recipiam eum in regnum meum. Et quicumque dabit famelico in nomine tuo ut comedat, ego
25 dabo ei comedere e fructibus paradisi et faciam ut bibat e fonte vitae. Et quicumque invocaverit me in nomine tuo, ego statim audiam eum. Salus mea erit tecum. Amen ». Et cum Salvator haec ei dixisset, dedit ei pacem et adscendit in caelos magna cum gloria.

30 Et custos carceris aperuit ianuam carceris, et cepit manibus suis lucernam quae lucebat; et ingressus est in eundem locum tenebrosum, et vidit catenas solutas et prolapsas in terram; et timuit valde ne interficeretur huius rei causa. Et postea venit ad praesidem, et de hoc certiorem fecit eum dicens:
35 « Catenas, *quibus vinctae erant manus Aboli, invenimus esse solutas et proiectas; et locus tenebrosus lucebat sicut sol ». Et cum praeses haec audivisset, iratus est valde, et praecepit ut adducerent sanctum ad tribunal; et praeses dixit ei: « Visne incantare hanc urbem in nomine Dei tui? » Et sanctus re-

p. 112.

p. 113.

spondit dicens: « Ego autem non sum incantator, sed servus Domini mei Iesu Christi; sed tu reputasti potestatem Dei mei et Domini mei Iesu Christi sicut potestatem Satan. Et Satan veniet adversus te, et agitabit te, donec noveris non esse Deum nisi Iesum Christum ». Et ea hora Satan venit adversus eum, et 5
verberavit eum, et deiecit eum in terram; et eius os spumabat valde. Et cum milites viderent eum a Satan molestatum esse, rogaverunt sanctum ut ei veniam daret. Et sanctus dixit eis: « Nunc eius deus faciat ut is vivat ». Et illi rogaverunt eum dicentes: « Domine noster, miserere eius, et ei veniam da ». 10
Et sanctus respondit eis dicens: « Vivum est nomen Dei mei, Regis regum; non is requiescet ab hac afflictione donec confessus fuerit non esse alium deum nisi Iesum Christum ». Et praeses confessus est coram adstantibus, sicut sanctus eum iussit. Et postea sanctus Aboli signavit eum, dicens: « In nomine 15
Domini mei Iesu Christi, exi ab eo, Satan, ut eat ad Deum, qui pendet ei secundum eius opera ». Et statim praeses sanus factus est ab eo daemonio; et ille rogavit sanctum dicens: « Abi nunc a me ex hac urbe, ut quiescas, et ego quiescam a te ». Et sanctus respondit ei dicens: « Nonne scis, incre- 20
dule, neminem potestati Domini mei Iesu Christi resistere
p. 114. posse? Et illa removet a me omnes poenas tuas; *sed ego non abibo, donec perfecerim curriculum meum ». Et praeses dixit ei: « Omnis vir qui venit ad tribunal dat pretium redemptionis suae divitias iudici, ut relinquat eum, et ut abeat; sed 25
ego rogo te ut abeas a me ex hac urbe; et si tu id non feceris, ego nescio quid faciam circa te. Et nunc etiam recede a me; quid vis ut dicam tibi? Nihil hoc maius est ». Et sanctus Aboli dixit ei: « Sed si tu audires a me quod tibi dicam, salvus fies a me ». Et praeses dixit ei: « At ego timeo ne 30
veniant mala adversus me maiora quam antea ». Et sanctus dixit ei: « Ego iuro tibi per nomen Domini mei Iesu Christi, me non tibi facturum mala rursus ». Et praeses respondit et dixit ei: « Certiorem fac me quid velis ut faciam circa te ». Et sanctus dixit ei: « Congrega, igitur, cives urbis tuae in locum 35
ludorum et tribunalis adversus me, ut abscindant caput meum gladio, et perficiam certamen meum; et requiesces a me ». Et cum praeses audivisset eius verba, laetatus est valde, et iussit congregari homines urbis, viros et mulieres, qui erant in urbe,

ut viderent christianum Aboli, quomodo abscinderetur eius caput acie gladii.

Et cum coetus congregatus esset, praeses sumpsit aquam, et lavavit manus suas, et dixit: « Ego sum purus et innocens a 5 sanguine huius viri ». Et postea praecepit ut abscinderent eius caput gladio; et imposuerunt frenum in eius os, et tulerunt eum in locum ludorum, quo abscinderent eius collum gladio. Et sanctus Aboli rogavit lictores dicens: « Exspectate me paullum, ut orationem faciam Domino meo Iesu Christo; 10 et postquam fecerim orationem, facite quod iussi estis. Et ille stetit, et oravit ita dicens: « Domine mi Iesu Christe, per quem suscepi hunc laborem propter *nomen tuum sanctum, te anima mea secuta est a iuventuta mea, ut invenirem misericordiam coram te; rogo te, Domine mi, ne facias mihi secun- 15 dum peccata mea, et ne rependas mihi secundum culpam meam; etsi nullum diem vixi super terram sine peccato. Domine mi Iesu Christe spes mea, Iesu Christe laetitia mea, Iesu vivificator meus, Iesu salvator meus et refugium meum, esto mecum. Domine mi Christe, suscipe animam meam apud te, 20 quia tibi est gloria cum Patre tuo egregio et Spiritu Sancto vivificante usque in saecula. Amen ». Et cum diceret « amen », ecce apparuit ei Dominus noster Iesus Christus, et angeli eius sancti; et mater sancti Aboli erat cum illis; et Salvator dixit ei: « Esto fortis, neque timeas, dilecte mi Aboli, quia ego sum 25 tecum. Et ecce accepi precationem tuam, et perfeci votum tuum; et ecce mater tua; adduxi eam ad te, ut laetetur cor tuum ». Et eius mater prodiit ad eum, et salutavit eum cum gaudio, et dixit ei: « Esto fortis, fili mi, neque timeas, quia iam accepturus es coronam quae plena est gloria. Iuro per 30 vitam tuam, fili mi: multa bona nobis parata sunt in caelis. Ego beata sum hodie, fili mi dilecte, Aboli, quia ego appellata sum mater martyris; beatus venter meus qui portavit te, et ubera mea quae nutriverunt te. Beatus pater tuus, Iustus, quia misit te, ut hostia fieres Deo; ego sum beata, fili mi, 35 quia adveni ad finem certaminis tui ». Et cum adstantes perspicerent eum cum matre sua loqui et audirent, ducenti viri circiter ex praesentibus clamaverunt dicentes: « Christiani nos sumus publice ». Et postea gentilis praeses iussit abscindi eorum capita gladio. Et eo tempore sanctus Aboli laetatus est,

p. 115.

p. 116. et dixit militibus: « Festinate; perficite *id quod iussi estis ». Et extendit collum suum, et absciderunt eius caput sanctum; et accepit coronam martyrii quarto die mensis n a h a s ē. Et archangelus suscepit animam eius beatam, et ascendere fecit in caelos magna cum gloria. 5

Ego Sergius, servus sancti Aboli, scripsi omnia quae facta sunt a domino meo; et ego a b b a Ischyrion, qui natus sum in urbe Basta, sumpsi corpus sancti Aboli, et pulchre involvi illud, et abscondidi illud, donec transierunt dies persecutionis; et postea aedificavi ei pulchram ecclesiam christianam, et in ea col- 10 locavi eius corpus, et mansi ut curam haberem de ea per omnes dies vitae meae.

Salutem cuivis qui factus est martyr propter nomen Domini nostri Iesu Christi; is est, cui debetur omnis gloria, et omnes honores, et omnis adoratio, et cum eo Patri eius et Spiritui 15 Sancto vivificanti qui ei aequalis est, et nunc, et semper, et per saecula saeculorum. Amen et amen.

Finita sunt certamen sancti martyris nobilis Aboli, filii Iusti, maximi consiliarii, et certamen Iusti, eius patris, et Theocliae, eius matris; eorum patrocinium, et eorum orationes, et eorum 20 benedictiones sint nobiscum, amen; et eripiant nos, et salvent nos a retibus hostis et ab eius clade; amen et amen. Gloria Deo per saecula. Amen et amen; ita sit, ita sit.

Et ut scriberetur curavit quidem pater noster a b b a Salama, papas, minister mysterii Christi regis, pecunia sua libro ara- 25 bico in geez *converso,* ut sibi sit pulchra memoria coram Christo per saecula. Amen, amen, et amen.

p. 117. *Qui dixit: « Si quis scripserit librum certaminis vestri, et si quis fecerit commemorationem vestram, ego scribam eius nomen in libro vitae in caelis in Hierosolymis caelestibus [1] »; ita 30 scribat nomen eius qui curavit ut scriberetur hic liber. Et qui scribet eum, et qui leget eum, et qui audiet eum, una misericordiam consequetur in regno caelorum cum omnibus filiis baptismatis per saecula saeculorum. Amen et amen.

Tutela Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et tutela omnium 35 eorum verborum, et tutela Dominae nostrae Mariae [sit cum eius dilecto Walda-Maryam] [2] sine intermissione. Amen. Ita sit.

[1] Cfr. supra, p. 95. — [2] Nomen est possessoris codicis nostri.

*EFFIGIES IUSTI ET THEOCLIAE.

p. 118.

1 Confugi ad nomen tuum, nomen quod terret reges,
et ad nomen amoris, Aboli, et salutis, Theoclia;
Iuste, princeps regum, nam spes tua perfecta est;
5 coram facie tua divitiae regni Christi iucundae fuerunt,
aurum velut umbra, et argentum velut somnium.

2 Confugi ad virtutem tuam, quae copias Persarum defati-
et regnum Romanorum erexit; [gavit,
Iuste, dum mundum relinquis cum Theoclia, [vitiarum,
10 manu cordis adprehendisti, tanquam baculum, contemptum di-
ut effunderes sanguinem pro sanguine oppressionis filii vestri.

3 Confugi ad exitum vestrum ex arce vestra ornata,
in qua intus erat thesaurum auri et vasa argenti mundati,
ut propter iustitiam staretis in foro terribilis tormenti;
15 Iuste, nubes clementiae, et Theoclia, caelum,
pluviam sanitatis pluere facite super virum aegrotum.

4 Confugi ad peregrinationem vestram, ex urbe Antiochia
ad magnam provinciam Aegypti in utero navis per mare,
ad quaerendum mirabile certamen sicut ille qui peregrinatur
20 Iuste et Theoclia, divites in caelo et in terra, [ad aurum;
me virum advenam facite habitare in propinquo apud vos.

5 Confugi ad dispersionem vestram, Iusti ad Saʿid
et Theocliae ad Sa, provinciam alterius et alieni *praefecti,*
dum vi seiungimini a filio vestro;
5 cum congregabimini in area caelesti,
ministri faciei estote mihi ad Unigenitum Patris.

6 Confugi ad te, per tuum stare coram praeside Ariano,
ut stares in caelo ad dextram Filii, Salvatoris;
o Iuste, genus regum egregiorum, [tamen, quasi esset vinum;
30 fac ut sequar te, sicut fecisti ut sequeretur te ad bibendum cer-
Theoclia, ornata venustate et bonitate.

[metis gladium,
p. 119. 7 *Confugi ad vos, per abscissionem vestram, dum non ti-
adeo ut per eum corpus vestrum requievit a labore certaminis;
Iuste, Theoclia, qui dominati estis myriades,
ut sciam parabolam iustitiae et praestans verbum sapientiae,
gratia vestra sit mihi bonum gubernaculum. 5

CARMEN IN LAUDEM IUSTI ET THEOCLIAE.

1 Salutem vobis; vere in medio vestrum, ecce regnum cae-
sit pro regno vestro Antiochiae, [lorum
Iuste et Theoclia!

2 Salutem vobis; ut equi vestri essent nubes virtutis et gra- 10
parentes pueri Aboli, sine defectu [tiae,
sprevistis equos corporeos.

3 Salutem vobis; domine Iuste et domina Theoclia,
ut essetis liberi spiritu et homines regni caelestis
manumisistis animam servorum. 15

[rum erit
4 Salutem vobis; o Iuste et Theoclia, per saecula saeculo-
memoria eleemosynarum vestrarum, quae est iustitia apud
quemadmodum dicunt Libri. [omnes,

5 Salutem vobis; cum Theoclia retulit tibi, Iuste, voce sua
laetum nuncium auxilii, quem audivit e voce Virginis, 20
te parasti ad iter certaminis.

6 Salutem tibi, Iuste, rex regum et princeps omnium prae-
et tibi Theoclia, regina, prae gloria mundi [fectorum,
pluris aestimavistis effusionem sanguinis.

7 Salutem vobis, Iuste, nervus illustris urbis Antiochiae, 25
et Theoclia, mater martyris;
custodite me semper per numerum dierum
ab hoste et laqueo occulto.

*EFFIGIES ABOLI.

p. 120.

1 O tu, qui restitisti contra potestatem regis, cum voluit
te adorare idolum, fabricatum per manus hominum,
Aboli, quandoquidem ex honore terrestri multiplicasti honorem
5 ad te confugio, et te feci amicum, [*caelestem,*
ut vocer familiarem martyris iustitiae, atque dilectum.

2 Confugi ad te, cum te separasti, a patre tuo Iusto,
et a Theoclia, matre tua;
ut proficisceris ad mare certaminis, quanquam puer eras;
10 in te confido, Aboli, et ad te confugio;
ut cum iudicium poenae pronuntiabitur, sis mihi fulcrum.

3 Confugi ad adventum tuum, dum seiungebaris a matre tua,
ut stares coram Ptolemaeo ad suscipiendum tormentum in urbe
Aboli, ornate habitu decem praeceptorum, [Basta;
15 fortifica me tua illa debilitate, quae aequiparat vim validorum,
ne bellum inferat mihi is qui quondam seduxit Evam.

4 Confugi ad habitationem tuam in carcere, cum vinctus eras,
donec consilium caperent milites, quomodo te torquerent;
Aboli, utpote qui tecum consociatus fuerim in opere,
20 commorari me fac in medio habitationis, quam fecisti;
et si non ita erit, fac me vicinum.

5 Confugi ad constrictionem corporis tui, pedum et manuum,
cum extirpatione iecoris;
adeo ut in platea acceperis ictus palmae viridis,
25 quomodo, Aboli, qui eras e filiis domus regiae,
te irriserunt homines viles?

6 *Confugi ad dentes tuos, qui ceciderunt in terram,
cum praeses perfidus fregit ossa oris tui;
Aboli, ut tunc, adiuvaret te mirabiliter
30 Michael, princeps Exercituum *caelestium* [1], qui volavit super
sit exemplar tibi, ut adiuves me semper. [ala venti,

p. 121.

[1] Δυναμεῖς.

7 Confugi ad ambulationem tuam per omnes plateas urbis,
cum portares in capite gloriosam cutem tuam;
passus es acetum dolorosum et cutis cum pilis detractionem;
lavet me, Aboli, virum erroris et maculae,
sicut aqua hiemalis factus, sanguis tuus, qui fluxit in terram. 5

8 Confugi ad stationem tuam in medio flammae et ardoris
e ligno vitis ardenti et trunco, ei simili;
cum vinctus eras collo, Aboli, gravi collari ferreo;
ne servus tuus offendat in lapidem peccati stulti,
manus erigat me in puritate tua. 10

9 Confugi ad coniectionem tuam in horrendam domum te-
cum vinctus eras catenis a dextra sinistraque; [nebrarum,
Aboli, lumen tuum, tanquam exemplar lotum aqua fidei,
qui est sanguis, adduc a parte anteriori et posteriori,
ut illuminet tenebras mentis meae auxilio perfecto. 15

10 Confugi ad sanguinem, qui fluxit ex fonte colli,
cum praeses iussit tuum caput gladio abscindi;
ut in mundo deliciarum tristitiam non cognoscam,
fac me liberum e servitute diaboli ad amorem tuum,
cum regnabis in suavi regno caelorum. 20

CARMEN IN LAUDEM IUSTI.

1 Salutem tibi, Aboli; cum filios patris Abasgiros a morte
myriades proclamaverunt fidem tuam, [resuscitasti,
et adoraverunt magnitudinem tuam.

p. 122. 2 *Salutem tibi, Aboli; cutis tua, coronata gratia martyrum 25
sit mihi surrectio hora mortis,
ut ingrediar in vitam.

[silium hominum;
3 Salutem tibi, Aboli, quia consilium Dei mirabilius est con-
ignis doloris, postquam paratus fuerat tibi,
devoravit viros sanguinarios. 30

4 Salutem tibi, Aboli; porta urbis clausa petefacta est tibi,
quia tu minor non es, gratia et donis,
quam Petrus, princeps discipulorum.

5 Salutem tibi, Aboli; cum vocem blasphemiae locutus est praeses urbis Basta afflictus est, [contra Deum tuum Verbum [1],
miratus est potentiam tuam.

6 Salutem tibi, Aboli, nullus est inter maiores tuos filius qui,
5 in pueritia inventus fuerit provecti instar, [sicut tu,
nam tu egregiae iustitiae eras.

7 Salutem tibi, Aboli, si non possum canere magnitudinem
in memoria huius splendoris, [tuam,
cui tegit pulvis sicut velum corporis,
10 tristitiam meam dic, dic.

[1] Λόγος.

III

GADLA TĒWODEROS

SEU

MARTYRIUM S. THEODORI ANATOLII

Martyrium sancti Theodori Anatolii scriptum est idiomate graeco, fortasse Constantinopoli in monasterio sub invocationem eiusdem martyris dedicato. Aethiopicae versionis, quae non e textu primigenio, sed e translatione arabica facta est, apographa duo habemus in codicibus Musaei Britannici: Orient. 686 (saec. XVIII), et Orient. 687-688 (saec. XVIII).

Textum autem dedimus ad fidem codicis Orient. 686 (fol. 119 *v.*—127 *r.*).

Post Martyrium addita sunt Effigies Theodori, constans strophis tribus et triginta, et quinque alia carmina minora in laudem eiusdem sancti. Horum carminum textum dedimus ad fidem codicis Abbadiani n° 170 (42 *r.*—44 *v.*, 70 *r.*—71 *r.*, 76 *v.*—77 *v.*).

De martyrio sancti Theodori consulendum est opus Amélineau, *Les Actes des Martyrs de l'Église copte*, Paris, 1890, p. 179-183.

MARTYRIUM SANCTI THEODORI ANATOLII.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, unius Dei. Certamen et martyrium sancti Theodori Anatolii ex urbe Antiochia, qui occisus est propter nomen Christi in diebus regis Diocletiani, duodecimo die mensis ter. Eius oratio et eius benedictio sint cum anima eius dilecti, regis nostri Iyasu, et cum huius filio, rege nostro Iyoas, et cum eius matre regina nostra Walata Giyorgis, et cum serva sua Walata Selase, per saecula saeculorum. Amen. p. 125.

Benedictus sit Dominus Deus Israel, qui solus fecit miracula et prodigia [1]; et benedictus sit eius Filius Iesus Dominus noster; et benedictus sit Spiritus Sanctus vivificans. Memoria sancti et magni manifesta est nobis hodie, memoria Theodori Anatolii manifesta est nobis, qui erat ex urbe Antiochia; qui erat e progenie regia, et timens Deum; et Deus ei dedit virtutem et firmitatem; et delevit reges Cossaeorum, reges gentiles. Et nullus erat, qui posset persistere coram eius facie, cum ille caperet gladium suum; et multa bona faciebat ecclesiis christianis, et pauperibus, et egenis. Et nomen eius avi erat Basilides, filius regis Orientis; et huius filii ab invicem discesserunt propter regnum; et Basilides sumpsit uxorem suam, et filios suos, et filias suas, et paucos ex militibus suis; et profectus est, et pervenit ad urbem Antiochiam; et illic habitavit, et aedificavit turrim et domos ad instar domus regiae; et multa bona faciebat ecclesiis christianis, et pauperibus, et egenis, et viduis, et orphanis, et caelebibus, et peregrinis; et propter eius bona opera diligebant eum rex et omnis populus Antiochiae. Et multis diebus postea morbus cepit Basilidem, et rex ivit ut eum visitaret. Et Basilides dixit regi: « Custodi filios meos per Christum ». Et rex dixit ei: « Christus custodiat nos omnes ». Et Basilides mortuus est, et sepeliverunt eum in sepulcro regum, quia ille erat filius regis; et adstiterunt ei rex, et populus, et qui in urbe erant. Et Basilides reliquit filios duos, et *filiam unam; p. 126. nomen unius filii erat Sotericus, et nomen alterius filii erat Ptolemaeus; et nomen eorum sororis erat Martha. Et paulo

[1] Cf. *Ps.* LXXI, 18.

post ab invicem discesserunt propter hereditatem divitiarum eorum patris, et iverunt ad regem in iudicium; et rex reconciliavit eos, et divisit divitias eorum patris. Et rex miratus est eorum multas divitias, et stupuit; et regi erant filiae duae; et in matrimonium dedit unam filiam suam Soterico, et alteram Ptolemaeo; et Martham eorum sororem in matrimonium dedit magno duci, cui nomen erat Hermanus, qui erat quartus ex iis qui adstabant ad dextram regis. Et Sotericus genuit filium, et appellavit eum nomine suo Theodorum Anatolium, et post eum genuit filiam, et appellavit eam nomine suo Fisandiam. Et Ptolemaeus genuit filium, et appellavit eum nomine suo Claudium, et post eum genuit filiam, et appellavit eam nomine suo Tafasyam. Et Theodorus Anatolius maior natu erat quam Claudius. Cur appellaverunt duobus nominibus hunc sanctum Theodorum Anatolium? Ego dicam vobis: quia, cum infans esset, diligebant eum omnes qui videbant eum, et amplectabantur eum; et cum amplectabantur eum proximi eius matris, appellabant eum nomine avi eius matris Theodori; et cum amplectabantur eum proximi eius patris, appellabant eum nomine avi eius patris Anatolii. Et cum Theodorus et Claudius pervenerunt ad aetatem doctrinae, duxerunt eos ad magistrum, ut edocerentur; et docuerunt eos libros Prophetarum, et eorum interpretationem in lege Christi. Et hi fuerunt iuvenes timentes Deum; et deliberaverunt uxorem non ducere; et fuerunt studiosi ieiunii et orationis. Et cum ibant ad ecclesiam christianam, ut acciperent eucharistiam, veniebant pauperes et egeni, et exspectabant eos in via; et illi edocebant eos, et dabant eis omnia quae illi volebant.

Et Theodorus Anatolius excitabat milites suos, et ibat venatum bestias; et si inveniebat leonem aliquando, eum occidebat. Et quodam die cum venaretur, invenit magnum draconem in quo habitabat spiritus impurus; et cum vidisset hunc draconem, ivit adversus eum, accelerando equum suum. Et is draco, cum vidisset Theodorum Anatolium, sustulit caput suum e terra decem cubitos, et protendit caput suum, et motitavit linguam suam ira; et equus Theodori Anatolii recusavit progredi adversus *draconem propter timorem; et Christus apparuit ei, cum sederet super scalam, et dixit ei: « Theodore Anatoli, esto fortis; virtus mea erit tecum in aeternum ». Et eo tempore

p. 127.

Theodorus Anatolius signum fecit super equum suum dicens: « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, unius Dei; vade adversus hunc draconem, neque timeas ». Et tunc equus cucurrit adversus draconem; et Theodorus Anatolius percussit
5 draconem hasta, et angelus Dei affixit hastam in dracone; et draco occubuit, et mortuus est. Et Iesus Christus dixit ei: « Salus mea erit tecum, Theodore Anatoli, quia futurum est ut martyr sis propter regnum caelorum ». Et his dictis, Iesus Christus adscendit ad caelos. Et Satan exiit e dracone, cuius
10 adspectus erat turpis, et cuius barba erat promissa, et capilli eius capitis divulsi, et eius oculi instar prunae ignis; et Satan dixit Theodoro Anatolio: « Eiecisti me ex habitatione mea, et vicisti me; vae tibi ab hoc die! Nonne sum ego qui feci ut Cain occideret Abelem, fratrem suum, propter invidiam? Et nonne sum
15 ego qui feci ut Herodes occideret Iohannem Baptistam? Et ego qui feci ut Petrus, princeps Apostolorum, negaret Dominum suum? Et nonne sum ego qui feci ut Iudaei occiderent Christum, et crucifigerent eum, et clavis affigerent eius manus et eius pedes? Et tibi quoque eodem modo faciam, ut crucifigant
20 te sicut Deum tuum ». Et Satan similis erat igni flagranti; et Theodorus Anatolius progressus est, et descendit ex equo suo, et convertit faciem suam ad orientem; et extendit manus suas in signum crucis, et recitavit hunc psalmum et dixit: « Gratias ago tibi, Domine, quia me suscepisti; et orationem meam non
25 fecisti ludibrium[1] », usque ad finem. Et prostravit se, et Deo gratias egit. Et reversus est ad urbem suam Antiochiam; et auditum est eius facinus per omnia oppida; et exierunt omnes ut viderent quod fecerat. Et cum vidissent illum draconem, obstupuerunt et Deo gratias egerunt. Et longitudo huius draconis
30 erat quinque et viginti cubitos, et eius crassitudo, ubi eminet e terra... cubitos; et eius latus... cubitos. Et rex quoque laudavit Theodorum Anatolium, et constituit eum caput omnium pugnatorum in omnibus exercitibus suis. Et paucos post dies rex mortuus est; et regem constituerunt *Ptolemaeum, patrem p. 128.
35 Claudii. Et Theodorus Anatolius profectus est ad bellum cum quibusdam e militibus suis, et delevit Cossaeos et gentiles. Et cum pervenisset ad proelium cum paucis militibus suis, dixit eis:

[1] *Ps.* XXIX.

« Ego sum Theodorus Anatolius; veni ut vos delerem virtute Iesu Christi ». Et auditis eius verbis, trepidabant ita ut nemo posset persistere coram eius facie, cum dimicaret. Et consilium habuerunt adversus eum rex Cossaeorum et reges gentiles, et dixerunt: « Si nos dimicaremus una cum hoc viro, non possemus eum oppugnare; sed cum veniet ad bellum gerendum adversus regem Cossaeorum, ibunt reges gentiles alio itinere, et bellum facient, et destruent eius provinciam; et si veniet ad bellum gerendum adversus reges gentiles, ibit rex Cossaeorum alio itinere, et delebit eius provinciam ». Et Cossaei et gentiles numerosi erant sicut locustae. Et rex Cossaeorum misit nuncium ad Ptolemaeum regem Romae, dicens: « Dimicamus ». Et Ptolemaeus rex Romae assensit huic rei. Et Sotericus, pater Theodori Anatolii, et Ptolemaeus, pater Claudii, deliberaverunt cum consiliariis suis et cum primoribus suis, et convenerunt; et numerus eorum militum MM myriades; et Theodoro Anatolio dederunt ex iis CCCC myriades, et Claudio dederunt CC myriades. 5 10 15

Et Theodorus sumpsit milites suos, et ivit ad bellum inferendum gentilibus; et miserunt Claudium ut bellum inferret regi Cossaeorum. Et Claudius profectus est, et vicit regem Cossaeorum, et captivum fecit Agrador, filium regis Cossaeorum. Et Cossaei consilium habuerunt, et dixerunt: « Si redibimus ad regem, et dicemus ei: 'Captivus factus est filius tuus;' ille occidet nos omnes. Melius est nobis ut persequamur Claudium, si possimus Agrador capere, aut moriamur illic nos omnes ». Et profecti sunt ut pugnarent, et ceperunt Claudium in proelio. Et eo die fuit magna effusio sanguinis ex parte Romanorum et ex parte Cossaeorum; et adduxerunt Claudium ad regem Cossaeorum, cui dixerunt: « Romani ceperunt Agrador filium tuum; et nos adduximus tibi filium eorum regis pro filio tuo ». Et statim rex vocavit reginam uxorem suam, eique dixit: « Suscipe filium regis Romanorum, et custodi eum donec reddamus eum patri eius, et pacem faciemus, ut reddat nobis filium nostrum ». Et Romani, qui *reversi erant a bello, rettulerunt regi suo, et dixerunt ei: « Captivum fecimus filium regis Cossaeorum, et adduximus eum ad te; et illi etiam persecuti sunt nos, et a nobis ceperunt Claudium filium tuum ». Et moestus fuit rex, eius pater, et regina, eius mater; et moesti fue- 20 25 30 p. 129. 35

runt omnes viri Antiochiae, quia ille satiabat eorum famelicos, et vestiebat eorum nudos, et solvebat eorum vinctos, et nullus opprimebat alterum cum Claudium habebant secum, et multa erant bona quae fecerat eis.

5 Et Theodorus Anatolius bellum gessit, et delevit reges gentiles; et reversus est ad provinciam Antiochiae. Et invenit moestos homines urbis et reges Romae; et Theodorus ingressus est ad regem, et narravit ei omnia quae gesta sunt in bello in provincia gentilium. Et cum Theodorus vidit eos moe- 10 stos, regem et populum et reginam, dixit regi: « Cur video vos moestos et tristes, te et populum tuum, o rex? » Et rex dixit ei: « Eo quod Cossaei ceperunt Claudium socium tuum ». Et Theodorus Anatolius dixit eis: « Ne moesti sitis; ego reducam Claudium, socium meum, virtute Iesu Christi; conver- 15 temur igitur, eo quod Cossaei ceperunt Claudium, et tulerunt eum in provinciam suam ». Et regina, uxor regis Cossaeorum, et eius filia, cum vidissent Claudium, pulchritudinem eius vultus, et venustatem eius faciei, et lucem quae erat super eum, miratae sunt valde. Et regina dixit regi: « Volo ut des filiam 20 tuam, utque in matrimonium accipiat eam hic filius regis; et remittamus eum ad eius patrem, et sit pax inter nos et illos, et reddat nobis filium nostrum; et postea bellum non geret adversum nos iterum, neque nos ei bellum inferamus ». Et rex dixit ei: « I, tu illi refer ». Et illa progressa rettulit ei haec 25 verba. Et Claudius respondit ei, et dixit ei: « Ego autem matrimonio eam non ducam, quia reliqui matrimonium, et tradidi me ipsum Christo ». Et rex vocavit Claudium, et dixit ei: « Scribe epistulam, et mitte eam ad patrem tuum, ut tueatur Agrador filium meum, sicut et nos tuemur te, donec reconci- 30 liemur, et tu proficiscaris ad patrem tuum, et ille remittat nobis filium nostrum. Et adhuc mitte nuncium ad Theodorum Anatolium, fratrem tuum, quia ego audivi eius famam et firmitatem eius virtutis, et cupio eum videre ». Et Claudius scripsit manu sua, et dixit: « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus 35 Sancti, unius Dei. *Dominus Deus obfirmet regnum tuum, pater mi, Ptolemaee, sicut obfirmavit regnum Davidis, et Salomonis, et Ezechiae, regum Israelis. Laetare, pater mi, quia ego vivus sum; et etiam tristis et moestus noli esse, quia ego sum cum rege gentili, et me obfirmavit in bonis; et tu quoque obfirma

p. 130.



eius filium; et mitte Theodorum Anatolium, quia rex cupit eum videre ». Et Claudius tradidit epistulam regi Cossaeorum; et rex misit duos servos suos cum eadem epistula; et nomina legatorum erant Leodyos (Leontius), et Banaglos (Panicyrus); et pervenerunt ad urbem Antiochiae, et tradiderunt epistulam regi 5 Ptolemaeo. Et cum rex vidisset epistulam, quae scripta erat manu Claudii filii sui, laetatus est magna laetitia, et gratias egit Deo; et laetata est regina, et eius servi, et omnis populus qui erat in urbe; et laetati sunt magna laetitia per dies septem; cum rex, ut populus comederet et biberet, curaret, utque 10 vestibus pretiosis vestirentur pauperes et egeni; et dedit unicuique eorum legatorum duodecim denarios auri; et consociavit eosdem legatos cum Theodoro Anatolio. Et legati dixerunt Theodoro Anatolio: « Princeps, nos aliique milites regis, cum custodiremus Claudium, vidimus cum ille noctu oraret, super eum 15 lucem e caelo descendentem. Et nunc nos quoque optamus, princeps, ut nobis dicas: Quae sit lex vestra et instituta vestra? » Et Theodorus Anatolius accersivit quendam presbyterum, prudentem et gnarum omnium Scripturarum, cui nomen erat Celestinus, et dixit ei: « Expone his legatis legem Christi ». Et 20 ille recitavit legatis legem Christi, et docuit eos libros Prophetarum, et eorum interpretationem, et omnia quae spectant ad Christum. Et legati surrexerunt, et adoraverunt Theodorum Anatolium, et dixerunt ei: « Da nobis sacerdotem qui nos baptizet, et nobis tradat corpus et sanguinem Christi, quia nos 25 credimus in Christum ». Et Theodorus Anatolius ivit ad regem, et ei ista narravit. Et rex misit nuncium ad archiepiscopum Theodorum, dicens: « Accipe et baptiza hos viros ». Et archiepiscopus iussit eos ieiunare dies quadraginta, dicens eis: « Orate, neque desinatis orare tempore horarum, postulantes remissionem 30 p. 131. peccatorum vestrorum; *neque comedatis carnem, donec expletum sit ieiunium vestrum ». Et postquam ieiunaverunt dies quadraginta, archiepiscopus praecepit Celestino ut eos baptizaret; et is baptizavit eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; et eis dedit corpus et sanguinem Christi. Et rex fecit eis omnia bona, 35 et constituit eos super omnes milites et super omnes civitates. Et illi erant studiosi ieiunii et orationis, et dabant eleemosynas pauperibus et egenis; et fuerunt martyres in diebus Diocletiani; et tradiderunt se ipsos propter Christum, et coronati sunt.

Et Theodorus Anatolius profectus est, et pervenit ad provinciam Persiae, dicionem regis Cossaeorum; et archiepiscopus Theodorus ibat cum illo. Et cum appropinquarent urbi, rettulerunt regi Cossaeorum, et dixerunt ei: « Ecce pervenit Theo-
5 dorus Anatolius ». Et statim venerunt omnes viri urbis, ut viderent Theodorum Anatolium; et cum is incederet in via quae ducit ad domum regis, populi adscenderunt super solaria, ut viderent Theodorum Anatolium; et propter multitudinem hominum, ruerunt solaria cum omnibus qui adscenderant. Et Theo-
10 dorus Anatolius ingressus est ad regem; et rex dixit ei: « Esne tu Theodorus Anatolius? » Et is dixit ei: « Sane ». Et rex dixit ei: « Ego audivi famam tuam, et quae sunt tibi virtutem et fortitudinem; et nunc etiam volo ut ostendas mihi fortitudinem virtutis tuae ». Et Theodorus Anatolius dixit ei: « Rex, virtus au-
15 tem et fortitudo sunt Christi. Scito enim, rex, cum ego fuissem in proelio, si congregati essent omnes milites tui, non valuissent capere Claudium socium meum ». Et rex dixit Theodoro Anatolio: « I, enim, et conveni cum Claudio socio tuo ». Et Theodorus Anatolius ivit ad Claudium, dilectum suum. Et cum
20 Claudius vidisset eum, amplexus est eius collum, et osculatus est eum. Et Theodorus Anatolius dixit Claudio: « Ne moestus sis, quia ego adsum ». Et adhuc dixit ei: « Estne aliquid mali, quod fecerint in te? » Et ille dixit ei: « Nullum est; sed regina dixit mihi ut uxorem ducerem filiam suam, et recusavi eam in
25 matrimonium ducere ». Et regina et eius filia adstabant, ut adspicerent hos duos benedictos, a parte exteriori iuxta domum; et cum vidissent venustatem eorum faciei, et pulchritudinem eorum vultus, et lucem Christi quae erat super eos, *obstupuerunt, p. 132.
et admiratae sunt. Et regina vocavit quendam pictorem effigiei,
30 et dixit ei: « Adspice hos duos pulchros iuvenes, et pinge mihi in muris domus meae effigiem eorum ». Et ille pinxit ei effigiem in similitudinem eorum.

Et rex vocavit Theodorum Anatolium et Claudium, et dixit Theodoro Anatolio: « Sume Claudium socium tuum, et ite ad
35 domos vestras; et postquam perveneritis ad provinciam vestram, mittite mihi filium meum ». Et eo tempore regina dixit: « Non sinam, ut Claudius et Theodorus abeant ». Et eo tempore descenderunt archangeli Michael et Gabriel; et Michael dedit gladium Theodoro Anatolio, et Gabriel tradidit gladium Claudio;

et Theodorus Anatolius clamavit voce magna, dicens: « Veni ut deleam vos per virtutem Domini mei Iesu Christi ». Et coeperunt occidere hostes. Et rex dixit archiepiscopo: « Esne tu eorum deus, et dedisti virtutem et fortitudinem his duobus viris, ut deleant populum meum et exercitum meum, et aboleant regnum meum? » Et archiepiscopus dixit ei: « Ego non sum deus, sed servus Dei; et constituit me archiepiscopum et sacerdotem, ut deprecarer pro eius servis ». Et rex adscendit ad solarium propter magnum timorem suum, et clamavit ad Theodorum Anatolium, dicens: « Rogo te per Deum tuum et per legem tuam, ne deleas populum meum et exercitum meum, neque aboleas regnum meum ». Et Theodorus Anatolius et Claudius susceperunt secum archiepiscopum Theodorum, et exierunt ab urbe; et sanguis affixit manum Theodori Anatolii cum gladio, et non valuit solvere eam nisi aqua ferventi. Et numerus Cossaeorum qui mortui sunt eo die, per gladium et per timorem, septem milia fuit. Et cum Theodorus Anatolius clamabat voce sua, clamabant cum illo imagines eorum, quas regina effici iusserat in muris domus suae; et sonus vocis istarum imaginum dicebat: « Theodorus Anatolius venit, et exiit ut deleat vos ». Et eodem tempore venit timor et tremor super homines huius provinciae. Et ipsae imagines exstant usque ad hunc diem; et non desierunt clamare usque ad hunc diem. Et cum homines huius provinciae audiebant vocem imaginis, dum clamabat *singulis annis, invadebat eos timor et tremor usque ad id tempus.

Et Theodorus Anatolius et Claudius redierunt ad provinciam suam; et cum pervenissent prope urbem, rettulerunt regi Ptolemaeo, pervenisse Theodorum Anatolium et adduxisse secum Claudium. Rex laetatus est magna laetitia; et regina laetata est, et omnis populus laetatus est; et etiam milites regis exierunt, et obviam eis processerunt magna cum laetitia. Et rex fecit gaudium usque ad duodecimum diem, quid comederent et biberent dando omnibus populis, et largiendo aurum et argentum et vestes pretiosas ecclesiis christianis et sacerdotibus; et dedit quoque pauperibus, et egenis, et viduis, et orphanis, singulis xxx denarios aureos, et vestivit eos vestibus pretiosis. Et Agrador, filium regis Cossaeorum, cum captivum fecerant in proelio, percusserunt hasta, et accepit modicum vulnus; et propter hoc vulnus aegrotavit et mortuus est.

Et post hos dies, rex Ptolemaeus mortuus est; et mortuus est Theodorus archiepiscopus urbis Antiochiae. Et aggressi sunt constituere regem Claudium filium Ptolemaei; sed is recusavit accipere regnum, dicens: « Ego vero non constituendus 5 sum in regno; sed tradidi me ipsum Christo ». Et constituerunt regem Numerianum e familia regia, et regnare fecerunt eum in urbe Antiochia. Et Cossaei audierunt mortuum esse Ptolemaeum regem Antiochiae, et susceperunt secum regem gentilium, et nuncium miserunt ad Numerianum, ut dimicarent cum illo, cum 10 exprobarent ei propter eorum filium. Et Numerianus moestus fuit, et misit nuncium ad terram Aegypti, ut congregarentur milites strenui in praelio; et propter magnitudinem eius moestitiae aegrotavit, et mortuus est; et magistratus consilium habuerunt ut facerent regem alium virum; sed Theodorus Anatolius co- 15 hibuit eos ne facerent regem, dicens: « Venite, eamus nunc ut dimicemus cum Cossaeis et gentilibus, quia multi sunt et innumerabiles; et si Deus nos reduxerit in pace, eo tempore regem constituemus, quem nos voluerimus ». Et Theodorus Anatolius sumpsit milites suos, et profectus est ad bellum ge- 20 rendum; et ii, qui venerant ex Aegypto, profecti sunt cum illo. Et mansit in urbe quidam ex Aegyptiis, cui nomen Agripada; et nitida erat pulchritudo eius vultus, et pascebat capras, cum esset in provincia Aegypti; et in urbe Antiochia adiunctus est eis *qui custodiebant equos; et quando is comedendum dabat p. 134. 25 panem equo, accipiebat tibiam, et cantabat coram equo; et Satan intrabat in equo, et saltare faciebat eum.

Erant autem Numeriano duae filiae iuvenes, quae habitabant solarium arcis, et earum, quae minor erat, vidit Agripada, cum tibia caneret, et saltare faceret equum; et illa ivit, et rettulit 30 ei, quae maior erat, et dixit ei: « Veni, ut videas hunc prodigium ». Et illa processit, et vidit, et Satan praebuit ei voluptatem, et illa cupivit Agripada. Et cum facta esset nox, aperuit domum suam, et introduxit eum, et corrupit virginitatem suam cum eo; et misit nuncium sacerdotibus, et dixit eis: 35 « Matrimonio iungite me cum Agripada ». Et sacerdotes dixerunt ei: « Nos matrimonio non iungemus te, quia timemus Theodorum Anatolium ». Et ipsa puella dixit eis: « Nonne regnum fuit patris mei, et nunc est meum? At Theodorus est vir proelii ». Et illa incepit seducere sacerdotes multo auro;

et sacerdotes matrimonio iunxerunt eam cum Agripada, et propter illam fecerunt eum regem; et cum fecerunt eum regem, appellaverunt eum Diocletianum.

Et Fisandia scripsit epistulam, dicens: « Filia regis Numeriani matrimonio iuncta est cum quodam Aegyptio pastore 5 caprarum, cui nomen est Agripada; et illa fecit eum regem in urbe Antiochia ». Et misit epistulam ad fratrem suum Theodorum Anatolium. Et cum is vidisset hanc epistulam, reliquit illic exercitum suum, et rediit ad urbem Antiochiam, et ingressus est in arcem domus regiae, et dixit: « Quis fecit 10 regem super Romanos hunc Aegyptium pastorem caprarum? » Et filia regis Numeriani respondit, et dixit ei: « Nonne regnum fuit patris mei, et tu nonne es vir proelii? » Et dixit haec, cum esset in solario; et eo tempore Theodorus Anatolius extulit gladium suum, et occidit ducentos ex militibus huius puellae, 15 et accepto igne incendit domum regiam. Et puella sumpsit coronam regiam, et vestem auream regiam, et alligavit eas funi, et demisit ei e superiore parte solarii dicens: « O Theodore Anatoli, rogo te per Deum tuum, ne deleas me; suscipe coronam et vestem regiam quas voluisti ». Et Theodorus Anatolius su- 20 scepit Claudium, et sedere fecit eum super thronum regium, et induit ei vestes regias, quas induebant cum regnabant; et iussit praeconem circumire *dicentem: « Regnare fecimus Claudium ». Et populi dicebant: « Vere et recte congruit ei ». Et Claudius, cum vidisset, ut Theodorus Anatolius sedaret iram 25 suam, deposuit coronam quae erat super caput suum, et vestem regiam; et collocavit eas super thronum regium, et dixit: « Ego quidem non suscipiam regnum mundi ». Et eo tempore angelus Dei apparuit Theodoro Anatolio, et dixit ei: « Deus dedit tibi virtutem et firmitatem; cur deles hos Christianos? » Et Theo- 30 dorus Anatolius dixit ei: « Inique egerunt, et regnare fecerunt Aegyptium pastorem caprarum ». Et angelus Dei dixit Theodoro Anatolio: « Haec iniquitas estne maior ea quam fecerunt Hannas et Caiphas? Hi sistere fecerunt Christum coram se in praetorio, et ceperunt ei conviciari, et spuere in eum sputum 35 immundum: et haec iniquitas maior est. Et Diocletiano dedit regnum una hora ». Et Theodorus Anatolius dixit ei: « Quod Deus voluit, faciet et regnare iubeat ». Et postquam haec dixit

p. 135.

ei, Theodorus Anatolius reversus est ad exercitum suum in bello, et dimicavit cum Cossaeis et gentilibus.

Et cum Theodorus Anatolius clamaret et diceret: « Veni ut vos deleam per virtutem Iesu Christi », eo tempore fugierunt 5 Cossaei et gentiles; et eos deleverunt, et captivum fecerunt Nicomedem, filium regis Cossaeorum, et adduxerunt eum ad urbem Antiochiae, et eum tradiderunt regi Diocletiano; et Diocletianus tradidit eum abba Caio archiepiscopo, et dixit ei: « Accipe et tuere filium regis Cossaeorum, donec reconciliemur, et 10 eum restituamus patri suo ». Et rex Cossaeorum moestus fuit propter filium suum; et misit septuaginta mulas onustas auro et argento et vestibus pretiosis; et misit legatum ad regem Diocletianum, dicentem: « Accipe has divitias pretium filii mei Nicomedis, et remitte mihi filium meum ». Et Diocletianus dixit 15 legatis regis Cossaeorum: « At ego non careo auro aut argento aut vestibus pretiosis; et divitias pretium filii tui non suscipiam, sed volo ut iures mihi, te bellum non illaturum christianis, et non praedaturum eorum provincias ». Et legati scripserunt epistulam, et eam miserunt regi suo, et certiorem fecerunt eum 20 de his verbis; et nunciaverunt ei, eius filium esse apud archiepiscopum. Et rex Cossaeorum *scripsit epistulam quae ita dicebat: « Pater mi archiepiscope, accipe hoc aurum, et argentum, et vestes pretiosas; et tu praeditus es veritate et rectitudine, sed is Aegyptius, pastor caprarum, indignus est regni ». Et archiepiscopus legit hanc epistulam, et nocte accepit divitias, 25 aurum, et argentum, et vestes pretiosas, et clam remisit Nicomedem, filium regis Cossaeorum, qui profectus est et pervenit ad patrem suum.

p. 136.

Et postquam Nicomedes pervenit ad patrem suum, congregati sunt Cossaei et reges gentilium cum multis copiis, et moverunt 30 se ut bellum inferrent Romanis, quia Nicomedes excitavit eos, et profectus est ut dimicaret cum Romanis. Et Theodorus Anatolius sumpsit exercitum suum, et profectus est ut dimicaret cum Cossaeis et regibus gentilium, et pervenit ad littora fluvii Danubis; et illic posuerunt castra sua. Et Satan finxit se esse 35 unum e militibus Cossaeorum, et ivit ad Romanos, et locutus est verba mala ut dimicarent. Et cum dimicarent, Theodorus Anatolius vidit Nicomedem filium regis Cossaeorum; et Theodorus Anatolius indicavit socio suo Theodoro, quem dicebant

stratelatem, et dixit ei: « Ecce eum! Video Nicomedem ». Et Theodorus stratelates dixit ei: « Non est; sed quidam ei similis est ». Et cum Theodorus Anatolius vidisset, misit nuncium ad regem Cossaeorum, et ad reges gentilium, dicentem: « Ab hoc die usque ad quintum decimum diem expectemus, et tunc dimicemus ». Et illi dixerunt ei: « Ita sit ». Et Theodorus Anatolius reliquit illic exercitum suum, et cepit Theodorum socium suum stratelatem, et pervenit ad urbem Antiochiae, et ingressus est ad archiepiscopum abba Caium, et ab eo petierunt benedictionem, et dixerunt ei: « Pater noster, heri, cum in praelio essemus, vidimus aliquem similem Nicomedi; nescimus utrum ille est, an similis ei. Et nunc etiam, pater noster, si ille recessit a te, ibimus, et eum capiemus, et eum reducemus ad te per virtutem Iesu Christi; si autem voluntate tua dimisisti eum, relinquemus eum, ne odium sit inter regem Diocletianum et te ». Et archiepiscopus abba Caius dixit eis: « Filii mei, iuro per manum sanctam Iesu Christi, qui Petrum constituit archiepiscopum et principem Apostolorum, Nicomedem filium regis Cossaeorum, mortuum esse apud me; et ego sepelivi eum manu mea ». *Et Theodorus Anatolius et Theodorus stratelates ab eo acceperunt benedictionem, et reversi sunt ad castra sua, et coeperunt dimicare cum Cossaeis et gentilibus. Et Theodorus Anatolius clamavit, et dixit: « Veni ut deleam vos ». Et eo tempore fugerunt Cossaei et gentiles; et Theodorus Anatolius captivum fecit Nicomedem, filium regis Cossaeorum, et reduxit eum ad castra.

p. 137.

Et Theodorus Anatolius et Theodorus stratelates ploraverunt, eo quod omnes milites regis viderunt Nicomedem, et non potuerunt occultare eum, ut clam reducerent eum ad archiepiscopum, si quidem viderunt eum omnes milites regis; et illi reduxerunt Nicomedem ad regem Diocletianum. Et Diocletianus dixit ei: « Esne tu Nicomedes, filius regis Cossaeorum? » Et ille dixit: « Sane ». Et rex dixit: « Nonne tradidi te archiepiscopo, ut te tuto custodiret? An effugisti ab illo, et recessisti? » Et ille dixit regi: « Nequaquam ». Et rex dixit ei: « Quomodo recessisti? refer mihi ». Et Nicomedes dixit regi: « Pater meus misit nuncium ad te cum multo auro et argento et vestibus pretiosis, ut dares me illi; sed tu recusavisti accipere; et pater meus dedit archiepiscopo eas divitias, et ille

accepit eas, et dimisit me, et perveni ad patrem meum. Et postquam perveni, profectus sum ut dimicarem vobiscum; et mecum adduxi multas copias; et dimicavimus, et ceperunt me, et Deus tradidit me in manus vestras ». Et rex Diocletianus dixit Ni-
5 comedi: « Ne timeas, Nicomedes, sede in tabernaculo tuo, et sile ». Et postea rex Diocletianus misit nuncium ad archiepiscopum abba Caium, et ille statim venit. Et rex dixit archiepiscopo: « Adduc Nicomedem, filium regis Cossaeorum, quem tradidi tibi ut eum custodires, quia pacem fecimus cum eius
10 patre, et volo eum tradere eius patri ». Et archiepiscopus abba Caius dixit ei: « Filius regis Cossaeorum mortuus est, et ego sepelivi eum manu mea ». Et rex dixit archiepiscopo: « I igitur, et para eucharistiam, et manu tua da nobis eucharistiam, et faciemus festum Dei, quia vicimus hostes nostros ».
15 Et eodem tempore archiepiscopus, et episcopi, et presbyteri, et diaconi paraverunt se, ut disponerent eucharistiam. Et rex ingressus est in ecclesiam christianam, et magistratus, et populus. Et archiepiscopus abba Caius consecravit eucharistiam; et cum absolvisset *missam dixit: « Kyrie eleison ». Et rex p. 138.
20 Diocletianus stetit coram altari, et dixit archiepiscopo: « Si vere mortuus est apud te filius regis Cossaeorum, iurabisne per hunc sacrificium corporis et sanguinis Christi? » Et archiepiscopus abba Caius incepit iurare dicens: « Iuro per hoc sacrificium corporis et sanguinis Christi, mortuum esse apud me
25 Nicomedem, filium regis Cossaeorum, et ego sepelivi eum manu mea ». Et eo tempore rex Diocletianus elevavit oculos ad caelum, et stetit horas circiter duas, exspectans ut e caelo descenderet ignis, qui mox combureret hunc virum. At ignis non descendit. Et eodem tempore Diocletianus traxit manu sua ar-
30 chiepiscopum abba Caium, et tradidit eum militibus suis; et milites duxerunt eum ad carcerem. Et rex vocavit Nicomedem; et is exiit e tabernaculo et adstitit coram omni populo; et rex interrogavit eum, et dixit ei: « Quomodo recessisti ab archiepiscopo? » Et Nicomedes dixit regi Diocletiano: « Antea nar-
35 ravi tibi, at nunc etiam narrabo tibi: Pater meus misit nuncium ad te, et misit multum aurum, et argentum, et vestes pretiosas, ut tu redderes me illi; et tu recusavisti eas accipere. Et pater meus clam misit nuncium ad archiepiscopum, et ei dedit eas divitias, quas tu recusaveras. Et archiepiscopus

accipiens eas, clam dimisit me; et abii, et perveni ad patrem meum. Et postea congregavi multas copias, et veni ut dimicarem vobiscum; et ceperunt me in bello et in proelio; et Deus tradidit me in manus vestras ». Et eodem tempore, rex misit ut diriperent domum archiepiscopi; et diripuerunt omnia, quae erant in eius domo, et adduxerunt coram rege onus centum mulorum, aurum, et argentum, et vestes pretiosas, et posuerunt eas divitias coram omni populo. Et rex dixit archiepiscopo abba Caio: « Si tu voluisses aurum et argentum, dedissem tibi decies plusquam illud; at iurasti per nomen Dei cum mendacio, et nunc etiam, quod cupisti aurum, ego satiabo te auro ». Et adduxit aurificem; et is liquefecit aurum, et aperuit os archiepiscopi, et ei bibendum immisit aurum fusum; et archiepiscopus statim mortuus est.

Et eodem tempore Diocletianus iussit claudi ecclesias christianas, et aperiri templa *idolorum. Et adhuc rex iussit fieri septuaginta simulacra auri, et ex iis quinque et triginta in effigiem viri, et quinque et triginta in effigiem feminae. Et rex venit, et coram deis iugulavit multa pecora; et sacerdotes idolorum tus adoleverunt, et fecerunt sacrificium deis, et appellaverunt omnes deos unumquemque nomine suo. Et rex accessit, et adoravit deos suos; et cum illo adoraverunt eos multi populi; et propter multitudinem hominum, qui deos adoraverunt, mortui sunt prae turba eo die centum et quinquaginta viri. Et rex iussit dicens: « Si quis deos non adoraverit, diripiatur eius domus, et ipse puniatur, et gladio abscindatur eius collum ». Et scripsit epistulam ad omnes provincias regni sui, dicens: « Iussi claudi ecclesias christianas, et aperiri templa idolorum, et deos adorari; et si quis deos non adoraverit, diripietur eius domus, et puniatur ipse, et gladio abscindetur eius collum ». Et tradidit epistulam uni e magistratibus qui adstabant ad dexteram suam, cui nomen erat Stephanus.

Et Stephanus cepit hanc epistulam, et laceravit eam coram rege, quia ille amans Christi erat. Et Diocletianus sumpsit gladium manu sua, et percussit sanctum Stephanum, et discidit eum in partes duas. Et urbs Antiochia similis facta est Hierosolymis; quia Hierosolymis fuit primus martyr Stephanus diaconus, et in urbe Antiochia fuit primus martyr Stephanus, filius Basilidis. Et martyres Antiochiae praestantiores sunt eis

qui martyres fuerunt Hierosolymis diebus regis Herodis; quia ii infantes erant, qui non habebant intelligentiam; et cum occiderent eos, ridebant cum occisoribus suis, et nesciebant quid esset mors et vita. Qui autem mortui sunt in urbe Antiochia, 5 seniores erant, et habebant domus, et opes, et dignitates, et regnum; et spreverunt haec, et honorem, et omnia quae in terra sunt, propter castitatem; et se ipsos tradiderunt propter Christum, quamvis cognoscerent amaritudinem mortis.

Et rex Diocletianus reiecit epistulam quae lacerata erat; 10 et scripsit aliam similem, et misit eam per omnes urbes regni sui. Et ex eo die, quo rex Diocletianus adoravit deos, et abnegavit Christum, Theodorus Anatolius non ivit ad eum. *Et postea p. 140. regina dixit regi: « Ecce non venit ad nos Theodorus Anatolius; neque ingressus est in domum nostram ex quo adora- 15 vimus deos usque ad hunc diem; et nunc etiam, ego opinor, ut relinquas eum non congruum est, quia non est qui constituat regnum et honorem absque eo ». Et rex Diocletianus dixit reginae uxori suae: « Et quid in eum facere possumus? Nam ille est strenuus validusque; et diligunt eum populus, et 20 magistratus, et copiae ». Et his dictis, dormivit ea nocte cum esset sollicitudine plenus. Et postea apparuit ei Satan, qui quidem similis erat angelo Dei, sed tamen destitutus luce. Et rex dixit ad Satan: « Esne tu Theodorus Anatolius? » Et Satan dixit ei: « Noli deinceps hoc nomen amplius pronuntiare, quia Deus 25 delevit eum, et exterminavit illud e terra ». Et rex Diocletianus dixit ei: « Dic enim, refer, quis es tu? » Et Satan dixit: « Ego sum novus deus, quem tu adoravisti; et ego obfirmavi regnum tuum; et in proelio ero tecum, et delebo hostes tuos. Et tu dele Theodorum Anatolium, priusquam ille capiat honorem tuum, 30 et regnum tuum, et honorem deorum tuorum ». Et rex Diocletianus dixit ei: « Quomodo possum eum delere, nam ille est strenuus validusque, et ego eum timeo? » Et Satan dixit regi Diocletiano: « Mitte nuncium ad eum dicentem: ‘Veni, habeamus consilium, quia venit epistula a rege Cossaeorum et a regi- 35 bus gentilium.’ Et cum hoc audiverit, veniet ad te. Et etiam tu sume viros validos, et strenuos, et multos, et absconde eos in turri palatii tui; et para ei mensam, ut comedat; et eo tempore viri strenui, quos absconderas, exibunt, et capient eum, et ego ero eis auxilio; et hoc negotium magis impurum est quam

impuritas feminae, et hoc negotium est Diocletiani ». Et cum rex Diocletianus experrectus esset, misit nuncium ad Theodorum Anatolium, sicut Satan suaserat ei; et rex abscondit in turri palatii sex milia virorum strenuorum, gladiis armatorum. Et Theodorus Anatolius venit, et ingressus est ad regem; et rex dixit ei: « Laetitia magna fuit hodie in hac domo mea, quia venit ad me Theodorus Anatolius ». Et paravit ei mensam instructam, *ut comederet. Et eo tempore venerunt sex milia virorum strenuorum, et apprehenderunt Theodorum Anatolium; et is dixit regi: « Mensa tua estne mensa irae? » Et vinxerunt eius manus pedesque fortibus vinculis. Et cum nox esset, Theodorus Anatolius dixit iis qui custodiebant eum: « Solvite me hora una, ut orem ad Deum ». Et ei dixerunt, qui eum custodiebant: « Princeps noster, non possumus te solvere, quia regem timemus ». Et Theodorus Anatolius contraxit manus suas, et solvit vincula manuum suarum et pedum suorum. Et eo tempore replevit eos timor et tremor, et ceciderunt unus super alium. Et Theodorus Anatolius dixit eis: « Nolite deinceps amplius timere ». Et surrexit ut oraret, et recitavit hunc psalmum, et dixit: « Dominus dixit Domino meo: ‘ Sede ad dextram meam, donec reducam hostes tuos sub plantas pedum tuorum. Virgam virtutis mittat tibi Deus e Sione [1] ’ ». Et recitavit psalmum usque ad eius finem, et alias orationes, sicut ei mos erat. Et postea convertit se, et dixit iis, qui eum custodiebant: « Tunc autem facite, sicut praecepit vobis rex vester ». Et illi surrexerunt, et vinxerunt eum vinculis. Et facto mane, rex Diocletianus vocavit Theodorum Anatolium, et dixit ei: « Ego autem vocavi te, et mandavi ut adducerent te benevole, ut adores deos sicut et nos ». Et Theodorus Anatolius dixit regi Diocletiano: « Nonne dixit propheta David, ut confundat vos: ‘ Dei gentium sunt aurei et argentei, opus manuum hominum; os habent, sed non loquuntur; oculos habent, sed non vident; aures habent, sed non audiunt; nares habent, sed non olfaciunt; manus habent, sed non palpant; pedes habent, sed non ambulant; nec etiam loquuntur gutture; neque est ipsis spiritus in ore eorum; similes illis fiant omnes qui fecerunt eos, et omnes qui confidunt in eis [2] ’ ». Et Diocletianus vocavit duos e magnis sacerdotibus deorum,

[1] *Ps.* CIX. — [2] *Ps.* CXIII, 4 sqq.

et nomen alius erat Cyriacus, et alius Irenaeus, quia sapientes erant, et magi, et astrologi; et dixit eis: « Dicite, recitate Theodoro Anatolio legem deorum, et magnitudinem eorum honoris, et firmitatem eorum virtutis ». Et Theodorus Anatolius dixit 5 regi: « O rex, quis melior est: utrum Cyriacus, qui accendit ignem, et facit incantamenta, sicut ei locutus est Satan in *igne; p. 142. an Moyses, qui vidit ignem in rubo, cuius frutices non consumebantur, et cui locutus est Deus, deditque Sionem? Quis melior est: utrum Irenaeus, qui in matrimonio duxit feminas duas, et 10 facit incantamenta; an propheta Elias, qui oravit orationem ne plueret pluvia, et non pluit per annos tres et menses sex; et iterum oravit ut plueret, et caelum dedit pluviam suam, et terra germinavit fructum suum? Quis melior est, o rex: utrum Cyriacus magus et adulter, an Samuel, cui locutus est angelus, 15 et qui unxit Davidem eumque regnare fecit? Quis melior est, o rex: utrum Irenaeus magus, an Daniel, quem proiicerunt Babylone in foveam leonum, et leones adoraverunt eum; et angelus Dei tulit Habacuc capillis eius capitis, cum mensa esset in manu Habacuc, et adduxit eum Hierosolymis Babylonem; 20 et introduxit eum in foveam leonum, quamvis fovea clausa esset, et tradidit Danieli aliquid huius cibi, et dedit leonibus, et ii comederunt? Qui sunt meliores, o rex: utrum Cyriacus et Irenaeus, qui faciunt incantamenta, et causa sunt ut mulieres currant post iuvenes, et scortentur cum eis; an Petrus et Pau- 25 lus, qui ad vitam revocarunt mortuos, et operati sunt magna prodigia, sicut eorum Deus? Et etiam tunc confusus sis tu, o rex, et confundatur pater tuus Satan, et omnes qui deos adorant, cum Christus apparebit, sedens in columna nubis, et milia et myriades milium angelorum aderunt coram eo, et Michael 30 canebit tuba, et resurgent mortui, et erit magnum silentium, et Dominus noster Iesus Christus descendet Hierosolymas, et sedet in throno suo, et duodecim apostoli sedebunt ad eius dexteram et ad eius sinistram, et tunc retribuet unicuique pro operibus suis. Vae tibi, rex, et omnibus qui adorant deos! Vae 35 tibi, et vae patri tuo Satan; nam comprehendent, et vincient eum, et trahent eum, et deiicient eum, et delent eum uno die ». Et rex Diocletianus, cum id audivisset, iratus est, et dixit ei: « Theodore Anatoli, ego iubebo nunc suspendi te, sicut Deum tuum ».

p. 143. Erat autem in urbe arbor magna, cui nomen erat *komol; et rex iussit Theodorum Anatolium trahi, et ligari in pondere suo ad hanc arborem. Et attulerunt CXCIII clavos crassos, et clavorum longitudo erat cubitum et latus cubitum et hos clavos infixerunt malleo in omni eius corpus, et affixerunt eum illi arbori. 5 Verum, sanctus martyr nullum verbum respondit, cum affigerent eum; et illic adstabat Fisandia, soror Theodori Anatolii, et adspiciebat eum; illa quidem amare plorabat, et propter magnam eius tristitiam, eius venter aestuabat sicut ignis. Et populi qui illic adstabant, plorabant cum illa, conviciantes et maledicentes regi, 10 et dicentes: « Hunc strenuum et validum, qui liberavit nos a manu hostis, perire nobis fecit ». Et Dominus noster Iesus Christus apparuit Theodoro Anatolio; et dixit ei: « Salutem tibi, quia tulisti omnem hunc dolorem; et nunc etiam visne ut extraham a te hos clavos, et sanem te, ut confundas hunc 15 regem rebellem? » Et Theodorus Anatolius dixit Domino nostro Iesu Christo: « Nequaquam, Domine mi, melius est mihi mori propter nomen tuum ». Et Dominus noster Iesus Christus dixit Theodoro Anatolio: « Paravi tibi coronas tres: unam propter castitatem tuam, et aliam propter laborem quem tu- 20 listi pro nomine meo et mei amore, et aliam eo quod mortuus es pro nomine meo. Et si quis tristis et moestus aliquid molestum putaverit, aut angustia ei adveniet, et rogaverit me nomine tuo, ego facilius negotium reddam ei, et eum liberabo, et eum laetificabo. Et si quis afflictus est in mari, dum est in 25 nave, et rogaverit me nomine tuo, ego liberabo eum. Et si quis processerit ad bellum, et pervenerit ad proelium, et invocaverit nomen tuum, ego liberabo eum, et ei adiutor ero. Et si quis aedificaverit martyrium tuum, et scripserit librum certaminis tui, et fecerit memoriam tuam, et obtulerit sacrificium nomine 30 tuo, ego accipiam eum, et laetificabo eum in regno caelorum. Et si quis dederit eleemosynas pauperibus, et egenis, et captivis, et peregrinis, ego remittam ei omnia eius peccata, et retribuam in regno caelorum; et similiter ei qui fecerit bona in die commemorationis tuae propter nomen tuum ». Et post- 35 quam Iesus Christus dedit hoc promissum Theodoro Anatolio, dixit ei: « Salutem tibi », et adscendit in caelos. Et Theodorus p. 144. Anatolius, vidit angelos tres, *qui tradebant ei tres coronas. Et post haec requievit, et venerunt angeli, et susceperunt

eum dicentes: « Alleluia! Is laboravit in mundo, ut viveret in aeternum! » Et cum nox esset, populi viderunt lucem descendentem de caelo super corpus Theodori Anatolii, cum esset in arborem. Et cum rex Diocletianus audivisset quomodo de-
5 scenderat lux, timuit ne populi crederent in Christum. Et Diocletianus vocavit Fisandia, sororem Theodori Anatolii, et dixit ei: « Sume cadaver fratris tui, et sepeli illud ». Et Fisandia, eius soror, suscepit eius cadaver, et linteis illud involvit, et immisit in arca quam collocavit in domo sua. Et sumpsit quoque clavos,
10 quibus eum affixerant, et eos collocavit in domo sua. Et fuit eius requies die duodecimo mensis ter. Eius benedictio sit cum anima eius dilecti regis nostri Iyasu, filii regis nostri Iyoas, et cum anima eorum matris reginae nostrae Walata Giyorgis, per saecula saeculorum. Amen.

15 Et Diocletianus regnavit XLI annos; XXIII annos cum permaneret in lege Christi; et XVIII, postquam abnegavit Christum et adoravit deos, et cum occideret omnes qui credebant in Christum. Et post XLI annos archangelus Michael descendit e caelo, et evertit eius thronum super eum, et eiecit eum e re-
20 gno suo, et eruit ei oculos uno die. Et accidit eo die, ut Diocletianum qui rex erat, et iudicabat populum usque ad meridiem, Deus faceret pauperem, et reprobatus est, et habitavit in plateis, mendicans panem; et nemo praebebat ei buccellam. Et veniebant ad eum pueri in urbe Antiochia, et deridebant
25 eum, et ludibrio eum habebant, et dicebant ei: « O Diocletiane, nos credimus in Christum; occide nos! » Et probris afficiebant eum, et maledicebant ei. Et nocte Satan apparuit Diocletiano in specie lucis; et Diocletianus dixit ei: « Qui tu es? » Et Satan dixit: « Ego sum quem tu adoravisti; peccavisti; et ego
30 amovi te a regno tuo, et erui tibi oculos. Et nunc etiam faciesne quod ego te iubebo, ut ego reducam te ad regnum tuum, et aperiam oculos tuos? » Et Diocletianus dixit: « Quid iussum mihi faciendum est? » Et Satan dixit: « Occidesne eos qui credunt in Christum? » Et Diocletianus dixit: « Sane, occidam
35 eos, *neque relinquam unum qui invocet nomen Christi ». Et Satan dixit ei: « O Diocletiane, de me vae mihi, et de te vae tibi! » Et Satan similis factus est flammae ignis, et abiit. p. 145.

Et Diocletianum invasit magna elephantiasis, et vermibus scaturivit omne eius corpus, et eius lingua corrosa est vermibus,

et mortuus est morte pessima. Et consilio habito, magistratus Romanorum sumpserunt quendam e genere regum, cui nomen erat Constantinus, et regnare fecerunt eum super omnes Romanos et urbem Antiochiam. Et paucos post dies, cum rex Constantinus dormiret in solario, exuit tegumentum vultus 5 sui, et levavit oculos ad caelum, et vidit stellas quattuor lucidas in figura signi crucis, et scriptura erat in medio illarum romana; et Deus illuminavit oculos Constantini, qui vidit et legit eandem scripturam; et haec scriptura dicebat: « Regnum tuum rectum erit, et firmum erit, Constantine! » Et cum illucesceret, 10 Constantinus narravit reginae uxori suae omnia quae viderat eadem nocte; et voluit ut sibi adducerentur cuncti sapientes Romanorum, ut explicarent omnia quae viderat; et dixerunt ei: « Ex omnibus sapientibus peritiores sunt Cyriacus et Irenaeus in observatione astrorum et in notitia scientiae ». Et 15 rex Constantinus arcessivit Cyriacum et Irenaeum, et narravit eis omnia quae viderat. Et illi dixerunt ei: « Tempus da nobis usque ad tertium diem, et dicemus tibi, rex, interpretationem ». Id autem placuit ei. Et per tres dies instruxerunt mendacium, et venerunt ad regem Constantinum, et dixerunt 20 ei: « O rex, quattuor stellae quas vidisti, sunt quattuor dii, qui maiores sunt inter deos Diocletiani, et eorum nomina sunt: Apollo, Artemis, Titan et Theseus. Et scriptura quam vidisti, significat: Si adoraveris eos et feceris eorum festum, sicut fecit Diocletianus, regnum tuum rectum erit et firmum, et in 25 proelio vinces inimicos tuos; quia illi etiam adiuvabunt te, sicut adiuverunt Diocletianum ». Et rex dixit eis: « Sane, ego quoque adorabo deos, et festum faciam eis ». Et Cyriacus et Irenaeus exierunt a rege, laetitia gaudentes. Erat autem quidam servus eunuchus, cui nomen erat Eusignius, servus san- 30 cti Theodori Anatolii; et cum is educaretur, servus ei aderat, p. 146. *et audiebat, cum docerent sanctum Theodorum Anatolium libros Prophetarum eorumque interpretationem, et legem Christi; et is eunuchus didicit omnia, quae audivit, dum erudiebant dominum suum. Et is eunuchus, cui nomen erat Eusignius, in- 35 gressus est ad regem Constantinum, et dixit ei: « O rex, ne audias verba Cyriaci et Irenaei, quia mendaces sunt, et tibi rettulerunt mendacia; et non est bona lex nisi lex Christi ». Et rettulit ei omnia quae prophetae vaticinati sunt de Christo,

eique explicavit eorum interpretationem. Et rex Constantinus adsensus est legi Christi, et anima eius laetata est iis quae dixerat ei eunuchus. Et cum Cyriacus et Irenaeus audivissent quomodo Eusignius converterat regem, et adduxerat eum ad
5 legem Christianorum, congregarunt secum CCC sacerdotes idolorum sibi similes, et sparserunt cinerem super capita sua, et ingressi sunt ad regem, et dixerunt ei: « Quomodo fit, ut servus eunuchus dirigat regnum Romanorum? Nonne vidisti quam rectum et firmum fuit regnum Diocletiani per virtutem eius
10 deorum, et quomodo vicerunt omnes inimicos? Et nunc etiam, o rex, sine nos occidamus hunc servum eunuchum, quia decepit te ». Et Constantinus dixit eis: « Id vero modo non fiat, sed iniicite eum in carcerem; ibimus per virtutem deorum, et dimicabimus cum Cossaeis et gentilibus; et si vicerimus eos,
15 ego quoque adorabo eos, et eis faciam festum, et occidam illum eunuchum; si autem victi fuerimus, ego quoque credam in Christum ». Et sacerdotes idolorum dixerunt ei: « Sane, ita sit ». Et Constantinus sumpsit exercitum suum, et profectus est ut dimicaret cum Cossaeis et gentilibus; et dimicaverunt, et
20 vicerunt eos Cossaei et gentiles; et mortui sunt multi e Romanis; et Cossaei et gentiles circumvenerunt Constantinum regem Romanorum ut occiderent eum. Et eo tempore Theodorus Anatolius descendit in equo spiritali ad regem Constantinum, et apprehendit eum coma eius capitis, et extulit eum
25 a proelio; et dixit regi Constantino: « Forsan scis quis ego sim? » Et Constantinus dixit ei: « Ignoro ». At ille secum reputavit, et visus est ei esse quidam e militibus Romanorum, qui portabat eum. Et Theodorus Anatolius dixit ei: « Ego sum Theodorus Anatolius; *cur credidisti in deos impuros, p. 147.
30 et venisti ad proelium? Ille rex delevit milites tuos; et ego eripui te a proelio, quia diligo te; et cum versareris in disciplina cum pueri essemus, fuimus socii. Et nunc etiam, o Constantine, crede in Christum, et ille erit tecum, et adiuvabit te; et omnia, quae tibi dixit Eusignius, vera sunt, et audi ea; et
35 aedifica tibi urbem in ipso loco, ubi nunc ades, et voca eam nomine tuo; et vade Hierosolyma, et detege crucem Christi. Sed sine me, ut eam ad exercitum tuum, et eos liberem a proelio colligamque eos qui supersunt ». Et Theodorus Anatolius processit adversus Cossaeos et gentiles, et clamavit dicens:

« Ego sum Theodorus Anatolius; veni ut deleam vos ». Et cum Cossaei et gentiles audivissent eius clamorem, in fugam declinaverunt; et ex eis mortui sunt multi timore et tremore; et qui supererant e militibus Romanorum, ceperunt regredi in itinere eorum provinciarum, cum moesti essent quod putabant regem suum mortuum esse. Et cum paullum progressi essent, invenerunt regem suum, ubi erat; et laetati sunt, et Deo gratias egerunt. Et rex voluit ne referant aut dicant: « Romani victi sunt ». Et id praecepit rex, ne sacerdotes idolorum, cum haec audivissent, se colligerent et aufugerent ab eo. 10

Et cum rex appropinquaret ad urbem Antiochiam, nuncios ad sacerdotes idolorum misit, dicentes: « Vicimus inimicos nostros per virtutem deorum nostrorum. Et nunc etiam parati estote, ut cum ego veniam adorem deos et eis faciam festum ». Et cum sacerdotes idolorum audivissent, iverunt ad Eusignium, 15 qui erat in carcere, et dixerunt ei: « Eusigni, para te mane, quia ducemus te coram deis nostris, et illic mactabimus te, et eis offeremus corpus tuum in sacrificium ». Et Eusignius tristis fuit, et ploravit, dicens: « Domine mi Iesu Christe, tu scis me non timere neque moestum esse ob mortem patiendam 20 propter nomen tuum; sed tristis sum quod corpus meum erit in sacrificium idolorum ». Et surrexit, et oravit nocte, et dixit: « Domine, quam multi sunt qui excruciant me! Multi insurrexerunt adversum me; multi dicunt animae meae: 'Non servabit te Deus tuus' ». Et recitavit hunc psalmum [1] usque ad finem. 25
p. 148. *Et angelus Dei apparuit ei, et dixit ei: « O Eusigni, salutem tibi! Noli moestus esse, nam qui dixerunt tibi: 'Para te ad mane, mactabimus te, et faciemus corpus tuum sacrificium deis;' tu eos videbis mane: vincientur manus et pedes omnium sacerdotum idolorum, et ducentur ad ignem, et eorum deorum ca- 30 pita serra frangentur; tu autem salvus eris hodie; sed paucos post dies parva poena afficieris, et manus Christi liberabit te ». Et postquam haec dixit, angelus dixit ei: « Salutem tibi », et adscendit in caelum. Et postero die rex Constantinus pervenit ad urbem Antiochiam; et Cyriacus et Irenaeus induerunt 35 se vestibus pretiosis, et similiter omnes sacerdotes idolorum, et exierunt obviam regi. Et rex dixit: « Adducite iam Eusi-

[1] *Ps.* III.

gnium ». Et abierunt, et adduxerunt eum ad regem; vinctus erat, et illi condemnabant eum. Rex autem cum vidisset eum, tristis fuit de illo, et dixit: « Solvite eum ». Et rex descendit ex equo suo, et dixit ei: « Condona mihi, frater mi, et mihi
5 benedic, quia propter te Dominus meus Iesus Christus obfirmavit me, et obfirmavit regnum meum ». Et statim rex praecepit militibus suis ut comprehenderent sacerdotes idolorum; et comprehenderunt eos, et vinxerunt eos manus et pedes, et iniecerunt eos in ignem, in quem unusquisque eorum paratus
10 erat proiicere corpus Eusignii.

Et rex Constantinus praecepit militibus suis ut everterent templa idolorum, et serra frangerent eorum capita, et ascia contererent omnes deos mendacii, et diriperent omnes sacerdotes idolorum; et invenerunt in templis idolorum multum auri
15 et argenti, quod mensi sunt in modiis sicut metiuntur triticum; et detulerunt id aurum ad regem Constantinum. Et rex congregavit pauperes et egenos, deditque eis multum auri; quod superfuit a pauperibus, impendit in aedificandas multas ecclesias christianas, quia innumerabile erat aurum et argen-
20 tum. Et rex Constantinus iussit fieri signa duo, alterum aureum et alterum argenteum; et cum ambularet per plateas rex Constantinus, portabant ante eum signum aureum et post eum signum argenteum.

*Et rex sumpsit quendam alienigenam presbyterum, pruden- p. 140.
25 tem et peritum omnium Scripturarum, et sincerum et humilem, cui nomen erat Demetrius, et constituit eum archiepiscopum in urbe Antiochia; et rex dilexit eum propter eius humilitatem. Et archiepiscopus Demetrius constituit papas, et episcopos, et presbyteros, et diaconos, et lectores, sanctificavitque ecclesias
30 christianas, et iussit eos assiduos esse in ieiunio et in oratione tempore horarum. Et fides firma fuit in ea urbe diebus regis Constantini.

Cum autem Theodorus Anatolius liberaret regem Constantinum, dixerat ei: « Aedifica tibi urbem in loco ubi nunc es, et
35 voca eam nomine tuo ». Et Constantinus illic aedificavit magnam urbem, et vocavit eam nomine suo Constantiniam, et in ea erexit multas ecclesias christianas et magnum monasterium sub nomine sancti Theodori Anatolii; et rex stabilivit illic sedem regni sui. Et rex misit nuncios ad urbem Antiochiam, et ad-

duxerunt corpus sancti Theodori Anatolii, et clavos quibus affixerant eum, et eius gladium, et eius hastam; et posuerunt ea in ecclesia christiana, quam aedificavit sub nomine Theodori Anatolii in urbe Constantinia. Et postquam mortuus est Theodorus Anatolius, nemo potuit eiicere eum ex ecclesia christiana sancti Theodori Anatolii, quia oravit et dixit, cum vivus esset: « Non des, Domine mi Iesu Christe, gladium meum alii ». 5

Et multos post dies rex Constantinus morbo laboravit, et cum iam prope esset ut moreretur, praecepit filio suo et dixit ei: « Cum Deus regnare fecerit te in regno meo, proficiscere Hierosolyma, et quaere et detege lignum crucis, cui affixus est Dominus noster Iesus Christus ». Et mortuus est rex Constantinus; et pro eo regnare fecerunt filium eius, et appellaverunt eum nomine eius patris, Constantinum, propter eius amorem erga suum patrem; et propter firmitatem fidei patris eius, Deus obfirmavit regnum filii. 10 15

Hisce autem diebus erat quidam dives gentilis, cui nomen Georgius; et coepit suadere magistratibus regis ut sinerent eum ingredi et quotiescumque comedere cum rege sine teste. Et ita accidit. Rex vero Constantinus dilexit eum, et secum locum ei dedit cum comederet et biberet. Mens autem huius gentilis Georgii erat *ut converteret regem ad adoranda idola; et suadebat ei continuo quia rex iuvenis erat. At regina Helena, regis mater, moesta erat, et dixit ei: « Melius est tibi ire Hierosolyma, et quaerere et detegere lignum crucis, sicut iussit te pater tuus, fili mi Constantine ». At ille non audivit vocem matris suae. 20 p. 150. 25

Quodam autem die, cum gentilis Georgius comederet et biberet cum rege, Eusignius ingressus est ad regem, et dixit ei: « O rex, quid prodest tibi? Cibus et potus fugaces sunt; et regnum terrae fugax est; et omnis honor et laetitia fugit, sed regnum caelorum non peribit in aeternum. Et nunc etiam, o rex, melius est tibi ire Hierosolyma quaerere et detegere lignum crucis Christi, ut accipias regnum caelorum, quod non deficiet. Et omnia quae sunt in terra, tibi adiicientur ». Et gentilis Georgius dixit regi: « Qui huiusmodi verba prava loquitur coram rege, dignus est morte ». Et statim rex praecepit famulis suis, et foras traxerunt Eusignium ut occiderent eum. Et sanctus Theodorus Anatolius descendit ad eum in equo spiritali, et cum 30 35

eo angeli qui sequebantur eum sub specie hominum, et dixit famulis regis: « Quae est culpa huius viri, ut eum occidatis? » Et famuli dixerunt ei: « Locutus est mala coram rege, qui mox mandavit ut occideremus eum ». Et sanctus Theodorus Anatolius dixit eis: « Ne occidatis eum, donec ivero, et locutus fuero cum rege ». Et dixerunt ei: « Non possumus exspectare, quia timemus regem ». Et ille dixit eis: « Ego liberabo vos ab eo ». Et adiit regem; et invenit reginam Helenam, quae moesta erat, et adstabat ad portam regis. Et Theodorus Anatolius, sedens in equo spiritali, dixit reginae Helenae: « Cur hic adstas, et moesta sis? » Et illa dixit ei: « Adveni ut rogarem filium meum pro Eusignio ». Et ille dixit ei: « Recede, regredere ad domum tuam, neque maesta sis ». Et illa abiit; et Theodorus Anatolius ingressus est ad regem, dum equitabat in equo suo; et dixit Constantino: « Quae est culpa Eusignii, ut dixeris eum occidendum esse? ». At ille non audivit eius sermonem, quia locutus erat ei sermone angelorum. Et rursus locutus est ei sermone Romanorum; et tum rex Georgiusque audiverunt eius sermonem. *Et surrexit gentilis Georgius, et dixit: « Qui loquitur malum operis pravi coram rege, dignus est morte ». Et Theodorus Anatolius percussit pectus Georgii gentilis, qui statim mortuus est, cum cibum deglutiret ore suo. Et regina Helena timuit propter suum filium, et ingressa est festinans. Et Theodorus Anatolius dixit regi Constantino: « Si pater tuus non fuisset amicus meus, ego non parcerem tibi; nunc etiam omnia quae dixit tibi Eusignius vera sunt; et fac tu etiam quod te iussit pater tuus, et vade Hierosolyma, et detege lignum crucis, cui affixerunt Christum ». Et his dictis, Theodorus Anatolius abiit, rege eum adspiciente.

p. 151.

Oratio eius et eius benedictio, et victoria eius sint cum dilecta sua, regina nostra Walata Giyorgis, et cum ancilla sua Walata Selase, per saecula saeculorum. Amen.

Qui scripsit eius certamen, et qui iussit illud scribi, et qui legit, et interpretatus est, et qui audivit verbum eius: eorum simul Deus misereatur per saecula saeculorum. Amen.

I.

EFFIGIES THEODORI.

[signum crucis,
p. 152. 1 Salutem memoriae nominis tui, cuius [prima] littera est
et comae tuae crispatae et nigrae, quae similis est colori corvi; 5
Theodore, valide, dux exercitus Dei,
ut laudem te secundum numerum totius effigiei tuae,
loqui me fac iucunde, quod iustum est et dignum est.

2 Salutem capiti tuo, cuius ornatus est corona victoriae,
et faciei tuae celebratae, cuius venustus adspectus laetificat; 10
Theodore, certamine martyr mortis Christi,
da mihi benedictionem tuam, et concede mihi gratis
ut per eam ego iuvenis inops sapientiae dives fiam.

3 Salutem palpebris tuis, custodibus ad omnia observanda,
et salutem oculo tuo uni, qui est cum socio altero suo; 15
Theodore, ut Iacob portio populi Dei,
populi terrae dederunt magnitudini tuae munera laudis,
populi quoque locuti sunt iustitiam tuam.

4 Salutem, salutem utrique auri tuae,
et genis tuis, quae odoribus spirant magis quam oleum ampul- 20
Theodore, martyr, dum cogitas spem resurrectionis, [lae;
tolerasti clavum mortis coram turba infidelium,
qui dispergebant carnem hominum sicut frumentum ventilabro.

5 Salutem naribus tuis, quae spirabant auram sanitatis,
et labiis tuis iucundis, quae celebrabant laudem Dei; 25
Theodore, tu [es sicut] vinum cantus, quod facit oblivisci luctum;
in magna virtute tua, domine mi, valde laetus sim laetitia,
sicut qui invenit multam praedam.

p. 153. 6 Salutem ori tuo, quod servatum est a loquendo vanitatem,
et dentibus tuis candidis, plus quam venustas crystalli et lactis; 30
Theodore, perfosse clavo ferreo ardente,
clavus tuus sit mihi pretium die afflictionis et molestiae,
cum Pater induet vestes poenae et praemii.

7 Salutem linguae tuae, quae locuta est iustitiam Christi,
et voci tuae tremendae, quae terruit regem;
Theodore, martyr, fili Sidraci,
visita me quovis mane cum patruo tuo Basilide,
5 et cum Eusebio filio eius eiusque fratre Macario.

8 Salutem respirationi tuae, cuius odor est conditus aroma-
et gutturi tuo bono, dulci foris et intra; [tibus,
Theodore, arca obducta auro clavorum,
esto custos et pastor mihi, ovi tuae segregatae,
10 ne rapiant me subito lupi rapaces.

9 Salutem collo tuo, quod simile est hastae vexilli,
et humero tuo, qui portavit pondus clavorum sicut latro;
Theodore, martyr, cum martyribus Antiochiae,
misericordiam pete mihi sedulo coram facie Dei opificis,
15 ut condonet peccatum animae meae, et eius culpas remittat.

10 Salutem dorso tuo, quod suscepit ictum clavorum,
et pectori tuo, quod in certamine requievit super komol;
Theodore, laete, solare me semper,
quia oblivioni datus sum, sicut torrens qui exsiccatus est;
20 et sicut unda quae iam pertransit.

11 Salutem sinui tuo, qui collegit manipulos cruciatus,
et manibus tuis clavis perfossis, quae beatae praedicatae sunt, eo
Theodore, veni mox, festinanter, [quod susceperunt dolorem;
ut consumas in facie terrae foris
25 hostes animae meae, scorpiones qui transfigunt homines.

12 Salutem dico brachiis tuis validis, p. 154.
et ulnae tuae, quae dissolvebat capita hostium sicut ceram;
Theodore, amicte orntatu virtutis et victoriae,
quis sicut tu, domine mi, ex hominibus validis,
30 in praelio capiat hominem validum manu sua?

13 Salutem cubito tuo, mensurae poenae et doloris,
et palmis tuis conspersis clavis sanguineis;
Theodore, martyr, laudate memoria et nomine,
cum te in proelio viderunt, equo terribili vectum,
35 gentes Cossaeorum dixerunt: Venit deus Romanorum.

14 Salutem digitis tuis, sicut phiala aromatis sculpta [1],
et unguibus tuis candidis, quorum color est sicut fulgur;
Theodore, sol terrae tuae orientalis,
redime me, servum tuum, foedere martyrii tui, tanquam auro,
cum iustus liber fiet a servitute amara. 5

15 Salutem lumbis tuis, qui rupti sunt clavis ferreis,
cum ventre tuo una, donec effusa sint eius intestina;
Theodore, qui convertis animam tuam ad amorem,
manus tuae infundant super caput meum
oleum sanctitatis, unguentum cuius pretium est magnum. 10

16 Salutem cordi tuo, quod non didicit cogitare vindictam,
et renibus tuis, qui in proelio expurgaverunt maculam;
Theodore, sacerdotes cantibus celebrabant te semper:
Dum facit miracula et prodigia
inter gentes, ad urbem suam transiit et ivit. 15

17 Salutem menti tuae, quae non cogitabat opus malum,
et intestinis tuis, effusis clavo ferreo ardente;
Theodore nobilis, me ministrum tuum pauperem
divitem redde auro boni operis et argento iustitiae,
non autem istis divitiis transitoriis. 20

p. 155. 18 Salutem visceribus tuis, quae vulnerata sunt clavo ferreo,
et umbilico tuo pariter, qui in eorum medio plantatus est;
Theodore, cum rex faciet coetum,
voca nos fratres tuos, ut una cum invitatis
faciamus festum in laetitia et exultatione. 25

19 Salutem lumbo tuo, victori validorum virtute sua,
et femoribus tuis, quae sunt sicut Balaz [2], cuius adspectus venu-
[state est desiderabilis;
Theodore, semper cum Claudio, singulis horis,
et cum Leontio, dilecto tuo, et Nicario eius socio, 30
veni e caelo visitare me.

[1] Cfr. *Cant.*, v, 13. — [2] Balaz est nomen unius e columnis templi Salomonis, et significat validus. (III *Reg.*, VII, 7. aeth.).

20 Salutem genibus tuis, quae non adoraverunt opus creatum,
et pedibus tuis, perfossis clavo ferreo mirabili;
Theodore, dives, spretor auri et argenti,
praefice me thesauro sapientiae et consilii,
5 ut iudicem, *regam*, decem sensus [1].

21 Salutem plantae pedis tui, quae tincta est sanguine clavo-
et calci tuo patienti, quem vexavit dolor martyrii; [rum,
Theodore, clypeus servator vultus mei,
cur relinquis me, dum tristis incedo?
10 sed laetifica animam meam laetitia.

22 Salutem digitis tuis, quorum numerus est dimidium viginti,
et unguibus tuis, qui ex iis [prodientes] creati sunt ad illorum or-
fac audiam quod dixit Theodorus, dux exercitus: [natum;
Laetus esto, dilecte mi, quia a te evanuit probatio;
15 tristitia haud inveniet te ab hoc tempore in perpetuum.

23 Salutem staturae tuae, quae pervenit ad iustam propor-
et effigiei tuae, soli qui opertus est umbra clavorum; [tionem,
Theodore, dixisti, cum lex Christi corrumperetur:
Ne timueritis mortem, fratres mei, neque quidquam aliud;
20 cum Dominus Deus noster est nobiscum, nemo praevalebit con-
[tra nos.

24 Salutem exitui animae tuae in odore Christi Dei, p. 156.
et cadaveri tuo, suavi plus quam odor ambari et musci;
Theodore, benevole angelum Michaelem
25 mitte de te ad me in modum [viri] fidelis et amici,
ut ascendere faciat orationem meam matutinam et vespertinam.

25 Salutem involucro [2] corporis tui in aromate unguenti puri,
et sepulcro tuo sancto in monumento patrum iustorum;
Theodore, valide plus quam viri validi, [et vivum,
30 num fessum est brachium tuum, quod perpetuo strenuum est
ita ut non salves me nunc virum animo perturbatum?

[1] Secundum Aethiopes, sensus animi et corporis decem sunt: quinque externi et quinque interni (cfr. DILLMANN, *Lex. aeth.*, c. 116). — [2] Linteo funebri.

26 Salutem vobis, instructis fide et fiducia,
martyribus Antiochiae, et aliis qui fuistis in concilio
cum Theodoro martyre, qui consumavistis certamen;
rogate semper, et intercedite apud illum qui omnes audit,
ut det mihi misericordiam et clementiam suam. 5

27 Theodore, Claudi, Basilides et Victor,
Iuste, Aboli et Apater,
Eusebi et Macari, ex urbe Antiochia,
coronate me, domini mei, clypeo vestro probato,
ne transfigant me sagittae impii Nestoris. 10

28 « Ne timueris paullum de insurrectione cuiusvis inimici,
cum familiaribus meis ego adero, ubicunque fueris ».
Sic dic mihi, Theodore, singulis diebus;
nam si tu mihi aderis, et illi fratres tui,
nihil timebo inferne et superne. 15

29 Si ad dominos huius mundi vir iniquus et impius
confugit, manu non tradetur;
Theodore, sapiens, me stultum custodiae tibi commissum,
memor infirmitatis meae, ne tradideris me alienis,
o corde mitis, sicut Filius unigenitus. 20

p. 157. 30 Ne reliqueris me, domine mi, in mari multae tristitiae,
dum immergit me fletus, et in undas detrudit me planctus;
Theodore, columba tristis corde Noah,
fac ut audiam verbum laeti nuncii portantis signum purum,
dum dicis: Siccum evasit diluvium te submergens. 25

31 Altile laudis sacrificabo cultro linguae loquacis,
et vinum cantici infundam manibus verbi expansi,
Theodore, martyr, festo tuo in mense tobe;
tu quoque da mihi ex gratia tua, o liberalis,
ut prudentem reddat stultitiam meam consilio suo quod sa- [pientiam dat. 30

32 E fructu labii et oris, purum donum laudis
ecce obtuli munus magnitudini tuae;
Theodore, da mihi retributionem meam (ad mensuram) concus- [sam et supereffluentem;
divites valde avari, cum iudicant causam,
si dederint eis parum, dant multa. 35

33 Cum rogabunt hoc cantico tuo, et deprecabuntur,
qui in mari afflicti sunt, et qui domi aegri sunt,
Theodore, illos salva, et aegros istos sana,
et perfice cogitationes eorum, si legitime cogitaverint,
5 nam potestatem habes super omnia per magnitudinem Christi.

II.

1 Salutem tibi, Theodore, gratia ecclesiae christianae,
et terribilis bestia adversus Cossaeos,
voce tua (quae est) sicut rugitus leonis.

10 2 Salutem tibi, Theodore, gemma, gloriatio Antiochiae;
dum audit certamen tuum singulatim,
laetatur singulis posteris diebus.

3 Salutem tibi; quam mirabilis est tua comprehensio vi
Nicomedis (*te vi comprehendisse Nicomedem*) instructi armis,
15 Theodore, perite proelii.

4 Salutem tibi; certamen martyrii tui suave est, sicut vinum [laetitiae cantus, p. 158.
laetificat cor et mentem;
Theodore, pulchra forma gaudens.

5 Salutem tibi; quis sicut tu, domine mi, patiens est doloris [et morbi,
20 Theodore columba, Theodore bestia,
qui infirmasti vim iuventutis?

6 Salutem tibi; sustulisti manu Nicomedem ex Cossaeis;
ad laetitiam trahe me virum tristem,
Theodore, vir potestatis.

25 7 Salutem tibi; ne in deserto tristitiae et in campo magni [ploratus maneam,
solve me, ut maneam in urbe;
dum exspecto te, măr Theodore,
sol ad occasum vergit, et terra vesperascit.

III.

1 Narrationem certaminis et virtutis, quae a te facta sunt,
populis terrae retulit Eutychius Anastasius;
Theodore, recitabo miram gloriam tuam;
suavis est memoria martyris, quae spernere facit mel; 5
esto mihi magister ad librum (scribendum) gratiae et virtutis.

2 O tu, ob gloriam faciei tuae tremuit intelligentia Satanae;
per eius consilium expulsus est ab hoc tempore usque ad Iohan-
ne offerat adorationem Ekraas, domino orientis; [nem (?),
Theodore, adversus inimicum meum voluit ratio cordis tui (?) 10
ne bellum gerant adversus me, extolle gravem pavorem.

3 O tu, cui in visione suasit angelus caeli
sermonem fidei et iustitiae, sub specie nobili patris tui;
ne audires consilium iniquitatis ex verbis Ausiae matris tuae;
consilium da mihi, Theodore, dum sequor viam tuam, 15
ne cognoscam alium deum nisi Deum tuum.

p. 159. 4 O tu, cuius magnitudine confractum est idolum;
cum in facie tua vidit sigillum sancti baptismatis,
Theodore, qui ut Christus fuisti sacrificium meridiei sextae feriae,
non coniunxisti Belial cum regno tuo; 20
lux enim est honor tuus, honor autem eius tenebrae sunt.

5 O tu, qui constitutus es dux exercitus propter virtutem tuam
Antiochiae in nobili urbe martyrum ex Macario;
Theodore, famule illius qui portavit crucem in Lithostroto [1],
obfirma me tempore infirmitatis et hora magnae probationis, 25
ne particeps fiam operum mundi iniqui.

6 O tu, qui non sumpsisti gladium ad bellum gerendum cum
sine gladio occidisti myriades militum Barbarorum; [hoste,
Theodore, valide, si semper in te confidam,
occide inimicos meos, ne sim reprobatus, 30
et ex illis ne reliqueris ullas reliquias.

[1] Ioh., xix, 13.

7 O tu, qui adiuvasti viduam cum dracone terreretur,
ne perderet filios suos consilio creaturarum perversarum;
Theodore, suave unguentum horti afflictionis,
adiuva me tibi commissum in custodiam, in hora quam timeo,
5 ne ante tempus eam in viam mortis.

8 O tu, qui vocasti Anastasium et Ausiam,
ut viderent negotium certaminis tui in medio foro Antiochiae;
Theodore, adornate pulchritudine et figura,
voca me ad hereditatem tuam, regnum Christi opificis,
10 et animae meae dic: Ecce dilecta mea!

9 O Theodore, susceptor verberum (illatorum) virga,
manu centum militum, a meridie ad vesperam;
cum illic natares in profundo sanguinis tui sicut in mari,
gloriosa ossa tua, quae fuerunt sicut farina,
15 sint mihi virga virtutis iustitiae coram hoste.

10 O tu, qui sedisti in ferrea sede tormenti, p. 160.
donec pulchritudo tua fuerit tota sicut ignis;
Theodore, qui es dulcis racemus vitis, *id est* fidei,
educ me e fovea perditionis, sicut regente iudice Moyse
20 electi Israelitae exierunt e terra Aegypti.

11 O tu, qui passus es abscissionem capitis gladio,
post eximium certamen;
Theodore nobilis, dux myriadum;
sanguis tuus, qui stillavit sicut sudor e vultu,
25 aqua purificationis sit mihi viro obstinato.

12 O tu, cuius cadaver emit auro,
a militibus qui occiderant te propter fidem et iustitiam,
Ausia, mater tua, foemina spissae curae;
memento me esse subiectum magnitudini tuae sollicite,
30 et da mihi, princeps Theodore, mercedem subditorum.

IV.

1 Salutem tibi; plenae fidei defectus non invenit te,
sicut alios; stas in cultu (Dei) ut arbor,
Theodore, ex terra Aegypti.

2 Salutem tibi; nam gloria vultus Moysis honoravit faciem [tuam, 5
Theodore, populus ut videat te
properat quo stas.

3 Salutem tibi, fili militis Iohannis, Theodore martyr;
cum parvus esses, dividisti corpus idoli,
dedecore affecisti consilium perversitatis. 10

4 Salutem tibi; solvisti fide et virtute spiritali,
qui vincti erant in arbore komol,
Theodore, iuvenis (strenue) in certamine.

5 Salutem tibi; contrivisti caput draconis lapide, quem tra- [didit tibi 15
angelus caeli, missus a facie Salvatoris,
Theodore, ornate pulchritudine.

p. 161. 6 Salutem tibi; intelligentia regis timuit te, Theodore,
cum apud eum occulte calumniati sunt te
sacerdotes, qui te odio habuerunt.

7 Salutem tibi; si homo dominetur per dies solis et lunae, [vane (?); 20
Theodore, quia non fuit iustitia (?);
ut propter iustitiam transeam de loco in locum,
da mihi tempus poenitentiae.

V.

1 Salutem memoriae nominis tui, gloria urbis Asiae. 25
et omnibus membris tuis unicuique sua facie et forma,
Theodore, qui vocaris « Theodorus Antiochenus »,
ut sequatur vocationem tuam, gressus Christi opificis,
anima mea elegit, (sicut) Maria, partem salutationis tuae [1].

[1] Luc., x, 42.

2 O tu, qui non respondisti invitationi regis et eius principum,
ut adorares (saltem) statuam ligneam vice centum deorum;
Theodore, firme in religione Christi,
ut recitem narrationem huius certaminis tui pro viribus meis,
5 imple me sapientia mentis, nam ego vanus sum.

3 O tu, qui respondisti populis qui rogaverant te,
quod Deus Pater genuit Filium;
Theodore, diligens, bono opere *sicut* apis,
te ipsum laudabo, domine, ex opere aegre,
10 quandoquidem sapientia apparet, et honorata est (sapientia?) [1].

4 O tu, qui cremasti magnum idolum,
dum eius sacerdotes capiuntur in somno cecitatis nocte,
cum pervenires ad regem, vinctus a tergo;
Theodore, ostende mihi intelligentiam tuam bonam;
15 ne ego, servus tuus, pro bonis operibus mala faciam.

5 O tu, qui pertulisti alapa percuti per manum praefecti, p. 162.
quem unxit oleo irae archangelus Gabriel,
cum reminiscereris percussionem Christi, primogeniti fidelium;
Theodore, audiens precationem meam,
20 adversus eum, qui bellum contra me tuae tutelae commissum
[gerit occulte, aperte bellum geras.

6 O tu, qui equitasti (insidens) albo equo spiritali,
et incessisti ad regionem provinciae Asiae,
dum doces fidem in nomine Filii Virginis;
25 Theodore, die iudicii terribilis retributionis
equus tuus servet me tuae custodiae creditum a foro Siol.

7 O tu, qui iniectus es in carcerem clausum,
ut morereris fame et terribili siti aquae;
Theodore, quomodo rex mundi caduci
30 iussit cibum tuum esse circiter decem drachmarum,
cum in manu tua, dextra et sinistra essent divitiae?

[1] Textus corruptus esse videtur.

8 O tu, qui suspensus es inter columnas duas,
extensis, pedibus et manibus;
Theodore, supplicio affecte propter nomen Patris et Filii;
flagellatio tua, more bovis per manum oppressorum qui erant
sit mihi laetitia intelligentiae ex tristitia saeva. [in tribunal, 5

9 O tu, qui fuisti tanquam ovis ex grege,
oblatio Christi vivi in flamma fornacis expansa;
Theodore, valide, socie Georgii martyris,
ignis qui arsit super te, sit ad reprehensionem mortis quae est
similis iridi mirabili ordine. [inimica mea, 10

10 O tu, qui accepisti verbera extensarum virgarum,
donec ossa tua fuerunt sicut cinis dispersus;
quod *frenum* ferre non valuissent viginti viri,
Theodore, frenum aeneum propter amorem Filii vivi
laeve visum est tibi domi et in deserto. 15

p. 163. 11 O tu, qui appellatus es magus propter fidem,
cum cor tuum effecit regnum Barnafes sicut phantasma;
Theodore, martyr, cum adspexit et vidit
tormentum quod accipiebas manu decem validorum,
propter iniuriam tibi illatam ploravit leo. 20

12 O tu, qui sanasti destitutos novae spei,
quam corpus tuum patientia accepit in fovea ignis;
Theodore, sicut tibi consociasti Philonicem in certamine,
sim socius tecum, domine mi, in regno Christi Alphae,
ne anima mea audiat reprehensionem in tribunali reprehensionis. 25

VI.

1 Salutem tibi, quia anima mea, (similis) campo viduae, spe-
Theodore, ut videam virtutem auxilii tui, [ravit in te;
incedam equo tuo.

2 Salutem tibi, ne hostes inferant mihi bellum in medio iti- 30
ex ore equi tui exeat ignis irae, [nere aut domi,
Theodore, aequalis martyrum.

3 Salutem tibi; cum rex vetuit ne biberes aquam
dum in carcere esses, gratia Spiritus sancti
satiatus es potu . . . .
[bonum nuncium: Laetare!

5 4 Salutem tibi; hodie, tempore tormenti dixisti animae tuae
Hereditate accepisti hortum quietis et terram deliciarum,
Theodore, serve iuramenti.

5 Salutem tibi; illos qui adstabant ut peterent eleemosynam a
quia sanguis tuus sanavit eos a vi morbi, [rege,
10 Theodore, ad fidem convertisti.

6 Salutem tibi; ex quattuor coronis tuis, quae descenderunt p. 164.
laetus fuissem portare unam, [tibi e caelo,
martyr mortis Christi.

7 Salutem tibi; « vanitas vanitatum », verbum est quod dicit
15 Theodore, cum dives esses, [Salomon;
quandoquidem edoctus fuisti per amorem Verbi,
paratus fuisti ad paupertatem et opulentiam.

IV

GADLA ABĀDIR

SEU

MARTYRIUM SANCTORUM APATRIS

ET IRENIS SORORIS EIUS

Martyrium sanctorum Apatris et Irenis sororis eius scriptum est in Aegypto. Textus copticus exstat in Bibliotheca Vaticana (Cod. Copt. Vat. LXIII, fol. 55-79), et editus est ab H. Hyvernat (*Les Actes des Martyrs de l'Égypte*, Paris, 1886, p. 78-113), exstat etiam eius versio arabica in Bibliotheca Bodleiana Oxoniensi (Seld. 3274; URI, CXCVIII, fol. 158 et seq.).

Aethiopicae versionis huius Martyrii quam dedimus notum est tantum apographon unum, quod servatur in cod. Abbadiano nº 110 (fol. 97 *r.*—105 *v.*), saeculi XVIII.

Post Martyrium addita sunt carmina duo, nempe: *a*) Effigies Apatris et Irenis: habet strophas tredecim, quarum quaeque constat versibus quinque; — *b*) aliud carmen in laudem Apatris et Irenis: strophis septem constat, quarum quaeque versibus tribus, praeter postremam quae quattuor versibus constat. Horum carminum textum dedimus ad fidem codicis Abbadiani nº 170 (fol. 73 *v.*—74 *v.*).

De sanctorum nostrorum Martyrio consulendum est opus AMÉLINEAU, *Les Actes des Martyrs de l'Église copte*, Paris, 1890, p. 174-176.



MARTYRIUM SANCTORUM APATRIS ET IRENIS EIUS SORORIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, unius Dei. p. 167. Certamen et martyrium sancti et nobilis, validi et victoris, 5 martyris Apatris et Irenis sororis eius, martyrum Domini nostri Iesu Christi, qui consummaverunt certamen suum et martyrium suum octavo et vicesimo die mensis maskaram, in pace Dei. — Eorum oratio et eorum benedictio, et donum eorum auxilii, et certamen eorum laboris, sint cum eorum di-10 lecto Za-Walda Maryam.

Et accidit in regno Diocletiani, regis apostatae, ut fecerit septuaginta idola, quae appellavit deos; quinque et triginta ex eis effigiem virorum, quinque et triginta effigiem feminarum referentia; et praecepit ut colerent eos principes et primores, servi 15 et liberi, episcopi, et presbyteri, et diaconi et omnis gens christianorum. Et in urbe *Antiochia* erat episcopus graecus, qui fecit multa miracula coram Diocletiano, et accepit martyrium. Ille autem traxit corda christianorum ad martyrium; et multi martyrium passi sunt propter eum, cum viderent firmitatem 20 eius cordis et eius robur in amore Dei. Et erant apud regem quattuor principes et magnates; et haec erant eorum nomina: Alehes, et Iustus, et Aradegis, et Basilides; et ii dimiserunt opes suas et divitias suas, et confessi sunt bonam confessionem cum suis filiis, et uxoribus, et servis.

25 Erat *Antiochiae* quidam vir, nobilis et dives valde, nomine Theocrates; et erat frater Basilidis; et Theocrati non erant liberi nisi Abadir (Apater) cuius nomen explicatur « amatus », et filiae duae; nomen unius erat Irai (Irene) [1], et alterius Tobelina (Helena).

30 At Theocrates diligebat valde Apatrem, quia non erat ei filius praeter illum, et rogavit regem ut filium suum constitueret ducem. Et cum rex vidisset pulchritudinem vultus, et firmitatem, et robur sancti Apatris, constituit eum magnum ducem, cum esset duos et viginti annos natus. Et deinceps eius pater 35 pergit facere epulas gentibus regni et omnibus gentibus urbis;

[1] Apater et Irai sunt formae hypocoristicae nominum Ἀντιπάτηρ et Εἰρήνη.

et per annos tres comederunt et biberunt eius domo. Et tres post annos eius pater requievit, et sanctus Apater dilectus p. 168. erat *gentibus regni et omnibus gentibus urbis. Sed eius mater despondit sancto filiam Basilidis, fratris eius patris. Et, orta persecutione, Basilides etiam martyr fuit. 5

Apatri autem erat amicus, cui nomen Socrates[1], quocum consilium habebat; et quodam die Apater dixit Socrati: « Frater mi, ecce orphanus sum, et non est mihi pater; et Basilides quoque, qui supererat quasi pater meus, ecce martyr fuit cum omnibus gentibus domus suae, relinquens copiam magnarum 10 divitiarum. Et nunc etiam, frater mi, Socrates, age; nos quoque confiteamur nomen Iesu Christi, et moriamur propter nomen eius. Ecce ego in matrimonium non ducam uxorem; despondit quidem mihi uxorem mater mea filiam Basilidis; sed et illa martyr fuit cum patre suo; ego vero uxorem iam non 15 ducam. Et si audiveris me, frater mi, Socrates, age! moriamur propter nomen Dei, et assequemur magnum honorem in caelis. Ego exponam tibi visionem quam vidi; cum pater meus Basilides mortuus esset propter nomen Domini Iesu Christi: adspexi eum in tanto honore, ut obstupefactus sim propter clari- 20 tatem eius vultus, et candorem vestium quibus induebatur; et non vidi quod simile sit in palatio regis; neque ullum vidi in palatio regio, qui similis sit Basilidi in gloria in qua adspexi eum. Et ille dixit mihi vultu subridens: ‘ Adspice honorem huius mundi, quomodo durat paucos dies et corrumpitur; et 25 nunc ecce exopta et intende ut venias ad me, et videas divitias meas et gloriam meam in caelis. O Apater, cur dormis, dum paratum est tibi certamen? Surge nunc etiam, et labora ut accipias coronam quae non corrumpitur, et ne respicias ad honorem huius mundi, eiusque gloriationes, fili mi Apater; et 30 beatus qui moritur in nomine Domini nostri Iesu Christi. ’ Et nunc etiam, frater mi, Socrates, ecce narravi tibi hanc visionem quam vidi. Et nunc etiam age, surgamus ut convertamus corda nostra ad Deum, ut inveniamus magnitudinem huius gloriae usque in aeternum ». Et Socrates dixit ei: « Pa- 35 tiens esto, frater mi, donec mecum id reputavero in corde meo ».

[1] Zocrator (Copt.).

Caput I.

p. 169.

Et postero die sanctus Apater ivit ad palatium regium, sicut ei mos erat; et Hermanus adduxit ad regem vestem Victoris, filii sui; et rex voluit eam induere Apollini impuro; 5 et tunc vestis extensa est, et produxit alam, et volavit in altum caelum coram omni populo; et illa clamavit dicens: « Nemini licitum est induere hanc vestem, nisi Victori, duci Iesu Christi ». Et cum sanctus Apater vidisset hoc miraculum, dixit amico suo Socrati: « Adspice magnum honorem qui contigit 10 ei qui laboravit propter nomen Iesu Christi. Et nunc etiam ego paratus sum mori propter eius nomen sanctum ». Et postea Socrates ivit et clam narravit eius matri omnia quae Apater dixerat ei. Et cum eius mater id audivisset, scidit suas vestes, et similiter eius sorores, quia valde eum diligebant. 15 Et cum Apater exisset e palatio regis, ingressus est in domum suam, comedit et bibit, et postea ingressus est in cubiculum suum ut dormiret; eius autem mater ingressa est ad eum, et in terram demisit faciem suam, et se prostravit ad eius lectum plorans. Et ille dixit ei: « Cur ploras, mater mea? » Et eius mater 20 dixit ei: « Ploro propter te, quia non est mihi filius nisi tu, dilecte mi et lux oculorum meorum, et tu vis abire et me deserere. Et ecce ego sum parata tibi facere nuptias et te matrimonio iungere hoc anno. Fili mi, ne relinquas divitias tuas, neque interimas iuventutem tuam, sicut dux Victor ». Tum 25 Apater iratus est in Socratem amicum suum, eo quod narraverit matri suae secretum suum, et valde contristatus est. Et postea voluit consolari matrem suam, et dixit ei: « Quid dicam tibi, mater mea? Sane, omnia quae dixeris mihi, tibi faciam ». At illa ploravit, et auxit planctum, et dixit: « Sed ego hinc 30 non discedam, donec mihi iuraveris, te me non relicturum, neque profecturum ». Et Apater dixit ei: « Mater mea, sed ego nunc bibi calicem vini; surge, et relinque me, ut paullum dormiam; et cras mane tibi iurabo ». Et cum ille haec ei dixisset, [eius mater] reliquit eum, et abiit. Sed sanctus *Apater oravit p. 170. 35 dicens: « Audi me, Domine mi Iesu! Oculus es qui videt et auris qui audit quemcumque ad te clamantem. Audi me, servum tuum, Domine, et fac me dignum ut adnumerer in congregatione



martyrum, qui mortui sunt propter nomen tuum sanctum. Et tu, Domine mi, scis amorem meum erga te, et tu perscrutaris cor meum et renes meos ». Et his dictis obdormivit. Et cum sanctus recumberet ea nocte in interiore cubiculo suo, ecce lux magna orta est super eum, et apparuit ei Dominus Iesus 5 Christus, Dei Filius; vehebatur super currum Cherubim in gloria ineffabili, et cum eo erat sanctus Basilides. Et Dominus dixit sancto Apatri, hilari vultu: « Salutem tibi, Apater, fili salutis, electe et virgo, fidelis et ornate virtutibus: ecce ieiunium tuum, et oratio tua, et eleemosynae tuae adscenderunt 10 coram me veluti recordatio bona. Et ego novi omnia quae acciderunt tibi; et adhuc novi desiderium et studium tuum, et te exoptare martyrium et certamen; et idcirco disposui ut angeli mei custodirent te ab infantia tua, ne malum vi inimici appropinquaret ad te. Scito: morieris propter nomen meum; 15 at non sinam te mori in hac urbe; sed surge nunc et vade citius cum sorore tua Irene ad terram Aegypti, ad provinciam in qua feci miracula mea, ut ibi moriaris propter nomen meum, et accipias coronam immarcescibilem. Et ne dicas in corde tuo: 'Quis ostendet mihi viam?' quia angeli, qui custodiverunt te ab 20 infantia tua, tecum ibunt quocumque ibis. Salus mea erit tecum; esto fortis et validus, et ego tecum ero, et non derelinquam te, donec consummaveris curriculum tuum et certamen tuum ». Et his dictis, Salvator consolatus est eum, et confirmavit eum, et ei dedit pacem, et adscendit in caelos magna 25 cum gloria. Et postea sanctus Apater experrectus est, et laetus erat eo quod Salvator apparuisset ei, et hilaris fuit valde. Et firmum fuit cor eius; et non cessavit recitare psalmos, donec lux orta est.

Et cum illuxisset, narravit amico suo omnia quae vidisset. 30 Et eius mater erat moesta valde propter discessum filii sui a se. Et postea venit ad eum, et dixit ei: « Iura mihi, fili mi, p. 171. dilecte, sicut mihi dixisti, *quia sum in magna perturbatione ». Et ille iuravit ei, se non manifestaturum seipsum coram Diocletiano, et nullum verbum confessurum coram eo. Et cum ille 35 iuravisset ei, requievit paullum cor eius matris. Sed Satan pugnabat adversus eam et infudit in eius corde malas cogitationes. Et erant quattuor viri fortes virtute sua inter eorum milites; et mandavit eis ut custodirent suum filium, dicens: « Si

audieritis eum confiteri coram rege propter martyrium, apprehendite eum, et adducite eum huc ad me; quod si ita fieri non possit, nunciate mihi, ut ego mox perveniam ad eum ». Et huiusmodi verbis eius mater iussa dabat eis.

5 CAPUT II.

At sanctus Apater ex quo Salvator ei apparuit, semper ieiunabat usque ad horam nonam; et nihil comedebat *cibi* ex quo exiret sanguis, nihilque ex cibis suavioribus, sed tantum olera et fructus; diu noctuque multas orationes faciebat, et vigila-
10 bat, et stabat, et prosternebat se sine intermissione; et nemo sciebat quid faceret; et meditabatur in corde suo omnia verba quae Salvator noster dixit in Evangelio suo sancto; et cupiebat semper relinquere parentes suos, et aufugere, ut consummaret martyrium suum propter nomen Domini nostri Iesu
15 Christi. Et cum iret ad palatium regis, convenit cum Socrate amico suo, et dixit ei moesto vultu: « Quid dicam tibi, Socrates? Ecce perfecisti verbum quod dixit magister: ' Si quis habet amicum, et *hic* extraxerit cultrum ut abscindat eum, ne animo deficiat, utique vero si manifestaverit secretum suum '.
20 Et nunc etiam ego discedam a te, et tu quoque recede a me, Socrates ». Et tunc Socrates moestus fuit, et dixit ei: « Frater mi, Apater, ego autem nolo te mori mihi, sed semper simus in amicitia nostra ». Et sanctus Apater dixit ei: « Dominus cognoscit quem elegit; sed si scires honorem martyrum, cognosceres
25 quod eorum mors non est mors, sed est vita aeterna ». Et sanctus Apater exibat nocte ut visitaret vinctos, et eis dabat quod eis opus erat; et hortabatur custodem ianuae ne cuiquam narraret.
*Et ipse mutabat vestes suas, ne quis eum agnosceret; et p. 172. exiebat ut hauriret aquam; et cum hausisset, portabat eam ad
30 loca in quibus habitabant peregrini. Quadam autem nocte hausit plurimam aquam, et valde defatigatus fuit; et ivit mox ad sanctos qui erant in carcere, et eis praebuit bibendam aquam; et praestitit omnia eis necessaria. Et postea reversus est ad aedes suas, et oravit, dixitque: « Recordare mei, Do-
35 mine mi Iesu Christe; et ecce ego fessus sum paullum hac nocte ». Et tunc audivit vocem quae dicebat ei: « Beatus es tu, Apater, vir dilecte; ne reputes in corde tuo, te fessum



esse, nam pro hoc labore parata sunt tibi multa bona; et ego ero tecum, dilecte; et custodiam te, et tibi dabo mercedem tuam; cum haurires aquam, ego quoque tecum hauriebam ». Et cum sanctus haec audivisset, laetatus est; et ab illo die hauriebat aquam cum laetitia, donec valde fessus sit. Et qua- 5 dam nocte, cum ageret sicut ei mos erat, ecce Satan venit in eum magna ira, et proiecit amphoram quae erat super eius humerum, et mox fregit eam; et cor sancti Apatris doluit quod Satan voluisset abripere sanctum; et defecit animus eius, et ita dixit: « Absit a te, Domine, ut potestatem des inimico 10 adversus me; tu ipse mihi promisisti, non fore ei potestatem adversus me ». Et ecce vox e caelo venit, quae dicebat: « Ne timeas, neque moestus sis, neque angustum facias pectus tuum, dilecte mi, Apater, quia ego tecum ero, neque te derelinquam, donec accipias vitam aeternam; sed extende manum tuam, et 15 collige fragmenta amphorae ». Et statim extendit manum suam, et sumpsit amphoram, et composuit eius fragmenta unum ad alterum, quae statim redierunt in pristinum statum. Et cum sanctus haec vidisset, laetatus est magna laetitia, et glorificavit Deum, qui facit voluntatem eorum qui timent eum. Et cum re- 20 versus fuisset ad aedes suas, dixit custodi ianuae: « Cave, et attende ne ponas hanc amphoram in loco quo olim eam ponebas; sed pone eam in loco mundo ».

Et mensibus octo post has res, Irene, soror eius, venit ad eum media nocte, et pulsavit portam conclavis sancti Apatris; 25 qui statim aperuit ei. Et cum illa ingressa esset, prostravit se p. 173. *in faciem suam, et dixit ei: « Domine mi, et frater mi, Apater, cur vis salvare animam tuam et me occidere in hoc mundo tenebricoso? » Et sanctus dixit ei: « Quid dicis, soror mea dilecta? » Beata Irene respondit ei, et dixit: « Audi me, et 30 tibi narrabo visionem quam vidi hac nocte, et propter quam valde hilaris sum ». Sanctus Apater respondit et dixit ei: « Quid vidisti, soror mea? » Et Irene, eius soror, dixit ei: « Cum dormirem hac nocte, Basilides venit ad me in honore magno et ineffabili; super eius caput erat galea aurea ruti- 35 lans, quae ornata erat gemmis pretiosis; ipse erat valde glorificatus; et tu etiam eras ad eius dexteram. Et inter vos erat femina, adspectu valde pulchra, cuius honorem et gloriam dicere non valeo. Et ille dixit mihi: 'O Irene!' Et ego dixi ei:

'Ecce me, domine mi!' At ille erat vivus, quasi qui non mortuus est. Et ego accessi ad eum, ut eum salutarem; sed non sivit me salutare eum; et dixit mihi: 'Usque modo digna non es ut salutes me; sed si audiveris me et fratrem
5 tuum, salutatura es me, et hereditate acceptura vitam aeternam cum eo, et perventura per eum ad Dominum omnis creaturae.' Et ego dixi ei: 'Pater mi, Basilides, ecce parata sum nunquam transgredi eius verbum.' Et ille prehendit manum meam, et tibi tradidit me, et dixit tibi: 'Accipe tu solus, Apa-
10 ter, quia illa est socia tua in hereditate caelesti; et ecce ego commisi tibi eius tutelam, et noli relinquere eam.' Et ego dixi ei: 'Domine mi, quae est haec femina tanta venustate pulchra?' Et ipsa femina respondit mihi, et dixit: 'Ego sum Mehrael; veni ut vocarem te, et ducerem te cum fratre tuo ad
15 urbem meam Manuf, quam incolo, ut accipiatis coronam quae non corrumpitur.' Et tunc experrecta sum in perturbatione. Et haec non dixi matri meae, neque sorori meae». Cum sanctus Apater audivisset sororem suam, dixit ei: «Bonum est enim quod vidisti, soror mea dilecta; et vere mecum he-
20 reditate accipies regnum caelorum». Et postea ille aperuit os suum, et benedixit Deo dicens: «Benedico tibi, Domine mi Iesu Christe omnipotens, cui debetur omnis benedictio; operator mirabilium et consolator sanctorum tuorum; consolator noster, et liberator noster, et sanator noster, Iesu Domine
25 mi, Iesu Salvator mi, Iesu vita mea, Iesu gloria mea, *Iesu ornatus meus, Iesu lux oculorum meorum, Iesu qui solvis linguam meam, Iesu amator animarum quae invocant eum». Et postea convertit se ad sororem suam, et dixit ei: «Ne referas haec ulli hominum, sed infunde in corde tuo, donec Dominus
30 noster Iesus Christus perficiat voluntatem suam; nam memores esse debemus coram Deo, ipse enim nos elegit per legem suam ad benevŏlentiam suam. Et nunc etiam scito, soror mea, quomodo ille tradidit te mihi, si audiveris me». Et tunc Irene ploravit, et dixit ei: «Frater mi, num rebellis fui tibi unquam?»
35 Et Apater dixit ei: «Omnia praecepta huius mundi quasi nihil reputanda sunt, sed praecepta Dei sunt audienda; et si mihi obedire velis, audi quod tibi dicam: cum ibo ad supplicium, veni mecum, et etiam cum veniam ad requiem mecum ibis». Et Irene respondit ei, et dixit ei: «Frater mi, sed ego

p. 174.

rebellis non ero, donec pervenerim ad effusionem sanguinis ». Et ille dixit ei: « I, et deprecare Deum, dicens: 'Domine mi, recordare mei, et ne me derelinquas.' Et insuper da eleemosynas, et non desistas a ieiunio et oratione ».

Caput III. 5

Et postea, elapsis mensibus sex ex quo Dominus apparuerat ei, ecce Apater exiit sicut ei mos erat, ut hauriret aquam; et rursum regressus est ad aedes suas, et obdormivit propter lassitudinem; et Dominus Christus, Filius Dei vivi, apparuit ei; et eius cubiculum resplenduit propter magnitudinem eius glo- 10 riae. Et tunc Apater surrexit, et extendit manus suas, et oravit; et ecce audivit vocem quae dicebat ei: « Salutem tibi, Apater, dilecte mi, vir electe; ecce pervenit tempus messis; tibi iucundum sit nunc accipere fructum quem seminavisti. Cur dormis, cum paratum est tibi certamen? Surge iam, ut acci- 15 pias coronam quae non corrumpitur; et vade ad littus maris cum sorore tua Irene, et invenietis navem quae parata est petere Alexandriam; eam conscendite, et ego dicam tibi quid facias. Firmus esto, dilecte mi Apater, ego ero vobiscum et non relinquam vos, donec consummaveritis martyrium vestrum, 20 p. 175. *quia nomina vestra scripta sunt in libro vitae ». Et his dictis, adscendit in caelos magna cum gloria.

Et sanctus Apater excitavit e somno sororem suam Irenem, et surrexerunt ambo noctu, et processerunt occulte usque ad mare; et navem paratam invenerunt quae petebat Alexandriam; 25 et eam conscenderunt, et profecti sunt vento prospero. Et post dies octo appulerunt Alexandriam Apater et eius soror; et habitaverunt in hospitio; e populo Alexandrino, qui plurimus est, aliqui sanctum agnoverunt. In eodem autem hospitio erat magnus dux qui et ipse, adspecto eius vultu, agnovit eum; et dixit 30 ei: « Esne tu dominus Apater magnus dux? » Et sanctus Apater subrisit, et dixit ei: « Multi vident me, et cogitant me esse illum virum; sed ego non sum ille, sed ei similis sum ». Et dux dixit: « Ego quoque dixi te esse illum virum; sed si reapse ille venisset, urbs esset commota ». Et sanctus Apater dixit ei: 35 « Ego autem sum vir e gentibus pauperibus ». Et dux respondit et dixit ei: « Tamen nisi vestes tuae sordidae essent, ego dice-

rem te esse illum virum ». Et rex quidem, cum quaesivisset sanctum Apatrem et eum non invenisset, interrogavit eius matrem et sororem, quae dixerunt ei, magno cum fletu: « At ille abiit cum sua sorore Irene, et nescimus quid egerint ». Et commota est omnis urbs Antiochia propter eos. Et postea rex haec nunciavit iudici Hermano, et dixit ei: « Investigemus eorum negotia, quia latere non possunt ». Et eius mater mansit cum ploraret et lamentaretur. Et sanctus Basilides apparuit ei, quadam nocte, et tetigit cor eius, et consolatus est eam, et recessit ab ea. Et Helena, eius soror, nupsit regi Constantino.

Et post tres dies, cum Apater et Irene eius soror essent in ecclesia christiana, eius soror dixit ei: « Quodnam est hic desiderium nostrum, frater mi? Et ad quem quaerendum venimus? Nunc ergo eamus ad ecclesiam christianam Mehraelis, quae mihi locuta est in visione ». Et sanctus Apater dixit ei: « Venimus ut quaeramus vitam animarum nostrarum; et si pervenerimus ad ecclesiam christianam illius feminae quam vidisti in visione, ego tibi vitam nunciabo ». Et sanctus Apater circuibat per urbem, *et percontabatur de ecclesia christiana p. 176. sanctae Mehraelis martyris; putabat enim, hanc ecclesiam christianam esse Alexandriae. Et dixerunt ei: « Est in terra Memphis, quae sita est ad occidentem fluvii ». Et cum ad vesperam declinaret octavus dies ex quo erat Alexandriae, sanctus cogitabat et dicebat: « Nunquid Deus oblitus est mei in peregrinatione mea? Tamen ille mihi dixit: ‘ Nunciabo tibi Alexandriae, quid facias ’ ». Et media nocte, cum sanctus Apater oraret sedens, non poterat stare, eo quod locus plenus hominum erat; ecce orta est ei magna lux, et Dominus noster apparuit ei, et cepit eius manum, et eduxit eum e loco ubi erat. Et tunc sanctus Apater commotus est; et Dominus respondit ei, et dixit ei: « Ne timeas, electe mi Apater, quia videbis me facie ad faciem; sed audi a me quod nuncio tibi, ut id facias. Surge mane, et ambula per hanc universam urbem, ut invenias gratiam tuam; quia loco in quem dilecti mei posuerunt pedes suos benedixi; et ambulabis usque ad finem noni et tricesimi diei, et pervenies ad urbem Banten cum Irene, sorore tua; et cum illuc perveneris, quaeres monachum Abakarazun; et is nunciabit vobis quid faciatis. Et postea proficiscere ad urbem Esmunain,

in qua ego habitavi veluti peregrinus cum matre mea virgine, cum ambularem in corpore. Et tunc benedixi huic urbi et omnibus eius operibus, quia me excepit. Et nunc etiam, ne timeas propter peregrinationem tuam, nam ego quoque peregrinatus sum cum matre mea Maria et cum Iosepho. Et tu quoque accipies coronam martyrii pro labore tuo. Et hora octava noni et tricesimi diei pervenies ad oppidum quod est ad ripam fluvii, cui nomen est Gela; et tibi obviam veniet extra oppidum vir sanctus, cui nomen est Samuel; et is laetabitur in occursu tuo, quasi te cognoverit ante hanc diem; et ille vir est misericors et amator hospitum, et vos excipiet domo sua; et vobiscum faciet bona opera; et ibit vobiscum Antinopolim ad praesidem [1]; et illic consummabis certamen tuum. Et postquam consummaveris martyrium tuum et certamen tuum, et acceperis coronam martyrii, ille curam habebit de corporibus vestris, et ea linteis involvet, et adducet apud se. Et ego faciam ut angeli mei custodiant illam *urbem* propter te; *quia abiecisti hunc mundum, et tulisti crucem tuam, et secutus es Dominum tuum. Et locum in quo deponent corpora vestra, faciam ut angeli mei invigilent, et ad eum malum non appropinquet. Et ecce ego ero tecum, donec consummaveris certamen tuum. Et nunc etiam vade in pace, dilecte mi Apater; salutem tibi et Ireni sorori tuae; et urbi quoque quae te exceptura est non obveniet malum in perpetuum. Beatus qui legerit librum martyrii tui; et beatus qui audiverit eum cum fide; ego Iesus, rex tuus, dico tibi: omnis qui memorabit nomina vestra, si sit in angustia, sive mari, sive terra, sive peragendo iter, sive in via in qua rapiunt latrones, sive coram quattuor iudicibus, ego exaudiam eum et statim liberabo. Et omni viro qui fecerit aliquid boni in singulis nominibus vestris, et cibum comedendum dederit famelico, vel potum bibendum dederit sitienti, vel vestem dederit nudo, vel hospitio exceperit peregrinos, vel visitaverit aegrotos aut carcere inclusos, vel liberaverit afflictos, ego reddam duplo maiora in regno caelorum. Et omni viro qui obtulerit oblationem ecclesiae christianae vestrae, vel fecerit commemorationem vestram, vel tegerit corpora vestra, ego faciam ut sit vobiscum cum eritis in habitatione *angelorum*

[1] Cui nomen erat Arianus (Copt.).

lucentium. Et omnis vir qui scripserit certamen vestrum et laborem a vobis susceptum propter nomen meum sanctum, ego scribam nomen in libro vitae. Et qui etiam aedificaverit ecclesiam christianam in nomine uniuscuiusque vestrum, ego faciam
5 eum habitare in horto deliciarum usque in aeternum. Et locum in quo deposuerint corpora vestra, non attinget probatio, neque afflictio, neque poena; et adversus eum non praevalebit inimicus ex gentibus. Et quicumque susceperit paullum ex linteis funeris vestri, et reposuerit domo sua, ego non sinam prae-
10 valeant adversus eum spiritus impuri. Et praesertim, quicumque fecerit bona in nomine vestro, ego faciam eum accumbere mensae mille annorum. Ego sum Iesus Christus, martyr, et primus fidelis diebus Pontii Pilati. Et corpus vestrum, purum et sanctum, erit medicamentum cuicumque morbo gravi la-
15 boranti. Et aegroti etiam, qui permanent in suo morbo, et sanari non possunt, cum rogaverint me, ego mox eos sanabo ».

Oratio sancti Apatris, martyris et victoris, *et Irenis, eius sororis, sit cum eorum dilecto..., et liberet eum a retibus hostis per saecula saeculorum. Amen. Et his dictis, Domi-
20 nus noster et Salvator noster adscendit in caelos magna cum gloria. p. 178

Caput IV.

Et sanctus Apater laetatus est propter ea quae Dominus noster ei dixit, et valde exsultavit, et lassitudo eius cordis con-
25 versa est in eius pectore in magnam laetitiam. Et cum vesperasceret, vocavit sororem suam, et cum ea incessit sicut pastor qui agnam agit. Et percontabatur de terra Memphis; et abhinc profecti sunt, et pervenerunt ad Banten, et convenerunt cum monacho Abakarazun. Et is salutavit eos, et obviam eis venit
30 magna cum laetitia, et dixit eis: « Dominus Christus nunciavit mihi vos adventuros esse. Beatus es tu, domine Apater, magne praefecte militum Antiochiae, qui dereliquisti regnum terrae ut quaereres regnum caelorum. Vere dico tibi: tu eris cum Domino Christo in gloria regni eius ». Et cum pervenisset ad urbem,
35 indicaverunt ei ecclesiam christianam quam quaerebat. Et cum pervenisset ad ecclesiam christianam Mehraelis, apertae sunt ianuae coram eis; et intravit cum sorore sua, et se prostrave-

runt ad corpus beatae Mehraelis, et ab ea susceperunt benedictionem. Et cum custos ecclesiae christianae vidisset ianuas apertas, commotus est valde et cogitavit *fures* intravisse ad surripienda vasa ecclesiae christianae; et cum intravisset, adspexit beatum Apatrem et eius sororem adorantes; et sumpsit virgam, et accessit ut eos verberaret; sed tum eius manus torpuit, et ab ea cecidit virga, et constitit in magna defectione, et non potuit procedere neque ad dexteram neque ad sinistram, et planxit magnum fletum, omnibus eum adspicientibus; et clamavit dicens: « Domini mei, peccavi contra Deum et contra vos; quia id feci propter ignorantiam, remittite mihi peccatum meum, et a me nolite expetere *vindictam* ». Et reputabat in corde suo, quomodo Dominus noster Iesus Christus cum Maria, matre sua, venerant ad sanctam Mehraelem. Et tunc sanctus Apater contristatus est in corde suo, et ploravit, et convertit faciem suam ad corpus sanctae *Mehraelis, et dixit: « Condona ei, ut sanetur eius corpus ». Et beata respondit ei, et dixit ei: « Sine me eum castigare; quia id fecit non modo adversus vos nunc, sed contra omnes peregrinos qui veniunt, si ei non dederint bona ». Et postea beatus Apater dixit custodi quod sancta Mehraelis dixerat ei. Et custos ploravit multum, et dixit: « Verum est hoc verbum; condonate mihi, quia faciam voluntatem Domini mei inde ab hoc die usque ad diem mortis meae ». Et rogavit sanctam beatamque Mehraelem. Et postea sanctus Apater misertus est eius, et signavit eum signo sanctae crucis, et sanus fuit sicut *erat* antea. Et tunc se prostravit in faciem suam coram sancto Apatre, et dixit eis: « Rogo vos, domini mei, ut dicatis mihi utrum vos sitis e genere caelesti an e genere terrestri? » Et sanctus Apater dixit ei: « Nos autem sumus homines peregrini pauperes; advenimus ut nos prosternamus ad corpus sanctae Mehraelis, quia pervenit ad urbem nostram eius odor suavis ». Et postea is custos excepit eos sicut decebat, et introduxit eos in domum suam; et eis fecit bona, et eos hospitio excepit apud se sex dies.

Sed Irene, soror sancti Apatris, mirata est valde propter id quod viderat; et sanctus Apater dixit ei: « Adspice nunc, quanta miracula manifestantur e corpore sanctorum qui fuderunt sanguinem suum propter nomen Filii Dei ». Et eius soror dixit ei: « Frater mi, ego autem admirata sum et mente perturbata

sum propter id quod vidi. Et si tua est voluntas, hic maneamus apud hanc beatam ». Et ille dixit ei: « Soror mea, nequaquam; nos etiam adhuc progrediamur et moriamur propter nomen Domini nostri Iesu Christi ». Et illa dixit ei: « Timor 5 autem non relinquit nos; sed eamus ». Et sanctus Apater dixit ei: « Nonne dictum fuit tibi in visione: 'Audi fratrem tuum?' » Et illa dixit ei: « Sane, domine mi et frater mi ». Et ille dixit ei: « Haec est illa, quam tu vidisti in visione cum patre Basilide, cum tradidit te mihi. Et nunc etiam, soror mea, audi me, quia *iam* 10 vidimus magnitudinem gratiae Dei, quae concessa est nobis ». Et postea narravit ei omnia, quae dixit ei Alexandriae; et illa laetata est valde. Et illa dixit: « Frater mi, cum invenerimus virum, de quo dixisti mihi in urbe, sciemus beneplacito Dei huc nos adductos esse. Et ego etiam non recuso tibi obtemperare *in p. 180 15 omnibus rebus quas me iusseris ». Et postea abierunt cum valediceret eis custos, donec pervenierint Esmunain.

Et cum completi essent novem et triginta dies, illi progredientes pervenerunt Gela, octava hora diei, et invenerunt virum qui exibat ab oppido, dum ipsi perveniunt ad urbem 20 Antinopolim. Et ille dixit eis: « Salutem vobis, domini mei! » Et illi dixerunt ei: « Tibi etiam salus sit! » Et Apater numerabat dies quos indicaverat ei Dominus; et tunc reputabat in corde suo, et dixit: « Num hic est vir de quo Deus locutus est mihi, nam dies impleti sunt? » Et sanctus *Apater* dixit ei: 25 « Amice mi, quid est nomen huius oppidi? » Et ille dixit ei: « Appellatur Gela ». Et sanctus Apater dixit ei: « Nos volumus ire hodie ad urbem Antinopolim ». Et ille vir dixit ei: « Quia iam declinavit dies, venite ad domum meam, et noctem transigite usque ad matutinum semper ». Et sanctus Apater dixit 30 ei: « Frater mi, nonne tu es Samuel? » Et ille dixit ei: « Sane, sum ». Et Samuel dixit ei: « Unde cognoscis me, domine mi? » Et sanctus dixit ei: « Cum essem Alexandriae, Dominus meus notum fecit mihi nomen tuum; et tu ille es qui habebit curam condendi corpora nostra ». Et Samuel dixit ei: « Quis 35 ego sum, ut Deus recordetur mei? Etenim vir peccator ego sum! » Sed Samuel laetatus est magna laetitia; et deduxit eos ad domum suam magno cum gaudio, et eis fecit multa bona; et permanserunt apud eum dies sex; et Samuel dilexit eos valde, cum *Apater* dixisset ei suum nomen. Et postea sanctus Apater

narravit ei negotia sua inde ab eorum initio usque ad finem. Et Samuel prostravit se in faciem suam super terram, et dixit: « Quis ego sum, domine mi, ut exeat ab ore tuo nomen meum, et sim dignus tanto honore, ut hospites adveniant apud me servi Dei? » 5

Caput V.

Et post elapsos sex dies, iverunt Antinopolin, Samuele eos comitante. Et cum sanctus Apater ingressus esset in urbem, transegit noctem; et cum ad vesperam inclinaret dies, rogavit Deum, ut obfirmaret corda eorum. Et postea iverunt ad prae- 10 torium, quasi irent ad locum nuptiarum; et invenerunt praesidem sedentem, qui disputabat cum quodam monacho et duabus mulie- p. 181. ribus. *Et Irene dixit sancto Apatri: « Frater mi, cum perveniam ad praetorium, quid dicam, nam valde timeo? » Et Apater dixit ei: « Ne timeas, soror mea, quia Deus non relinquet nos, sed 15 adspiciet peregrinationem nostram. Et cum perveneris ad praetorium, clama et dic: ‘ Ego sum christiana publice ’. Et si patiens eris paullum, Deus dabit tibi fortitudinem cordis et vires, et in te habitabit Spiritus Dei, et loqueris id quod nunquam didicisti ». Et Samuel valedicebat eis, et corroborabat eos. Et 20 cum pervenissent ad praetorium, clamaverunt dicentes: « Nos christiani sumus publice, credentes in Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei! » Et statim comprehenderunt eos, et adduxerunt eos ad praesidem. Et praeses dixit eis: « Unde vos estis? Et quid est nomen vestrum, qui ita loquimini? » Et san- 25 ctus Apater respondit, et dixit ei: « Nos christiani sumus, et cupimus ut tu iugules nos, ut eamus quo ire intendimus ». Et praeses valde miratus est pulchritudinem eius responsionis; nam ille sciebat omnem sapientiam. Et sanctus Apater noluit dicere praesidi unde sit, ne forsan desineret eos punire, quia 30 ille sciebat quam nobilis esset pater eius. Et rursus praeses interrogavit eum dicens: « Quid est nomen tuum? » Et sanctus respondit, et dixit ei: « Nomen meum est Apater ». Et praeses dixit ei: « Quid est nomen sororis tuae? » Et ille dixit: « Irene ». Et praeses dixit ei: « Accedite nunc igitur, et offerte 35 tus diis, et sinam vos abire; sin minus, moriemini morte mala ». Et sanctus Apater respondit dicens: « Nunquam id fa-

cturi sumus, ut relinquamus Deum nostrum, qui est Dominus Iesus Christus, et colamus idola impura, quia nos christiani sumus publice ». Et praeses praecepit ut adscendere facerent sanctum Apatrem super torcular, et premerent et dilacerarent
5 eius corpus scalpro ferreo. Et ei id fecerunt. Sed ille sustinuit hanc poenam virtute Domini Iesu Christi. Et cum praeses adspexisset eum, dixit per interpretem: « Dic mihi, unde es tu? » Sanctus autem non respondit ei quidquam, sed tantum dixit: « Domine mi, Iesu Christe, adiuva me ».
10 Et cum sancta Irene adspexisset eos qui saeviebant in fratrem suum, *incepit blasphemare praesidem et omnes eius deos p. 182. impuros. Et cum praeses animadvertisset eam blasphemantem, praecepit ut eam adducerent ad se; et dixit ei: « Vide fratrem tuum, et quod in eum facio. Et etiam tu offer tus cum
15 fratre tuo, et vos abire sinam ». Et sancta Irene respondit et dixit ei: « Ea morte qua morietur frater meus, ego quoque moriar, ut cum illo sim ». Et praeses iussit eam verberari scuticis; et eam verberaverunt dicentes: « Offer tus diis ». Et Irene dixit: « Sed ego non offeram; et tibi quoque non est
20 potestas nisi in corpora nostra; et quod volueris fac de nobis ». Et adstabat quidam miles, cui nomen erat Iohannes, et nobilis erat in oppido suo; et is dixit praesidi: « Si concedis mihi, domine mi, et tradis mihi hanc puellam, ego faciam ut illa offerat tus sine labore ». Et praeses dixit ei: « Accipe
25 eam ». At Irene nesciebat quid ille dixisset ei, quia colloquebantur sermone Aegyptiorum. Et tunc ille *miles* cepit eam manu sua, et deduxit eam ad domum suam; cogitabat autem eius virginitatem corrumpere; et adduxit duas meretrices quae loquerentur cum ea. Et statim beata Irene ploravit et dixit:
30 « Frater mi Apater, adiuva me ». Et miles se defatigavit colloquendo cum ea. Et tunc sancta clamavit, attollens oculos suos ad caelum, et dixit: « Domine mi, Iesu Christe, adiuva me, et respice ad peregrinationem meam et virginitatem meam, quam custodivi propter nomen tuum; ne sinas eam ab istis
35 corrumpi ». Et cum sancta Irene haec dixisset, mox miles Iohannes commotus est, et caligaverunt eius oculi; et ipsae meretrices factae sunt sicut idola, quae non movent se. Et beata Irene salva fuit, et pervenit ad praetorium.

Et postea praeses abiit ad domum suam, et iussit sanctum in-

cludi in carcere, donec sciret nomen eius urbis. At Irene ivit ad fratrem suum, et narravit ei omnia quae sibi acciderant; et eius frater laetatus est, quia Dominus non dereliquerat eos in eorum afflictione; et glorificaverunt Deum; et noctem transegerunt in carcere, glorificantes Deum et dicentes: « Adspice nos, Deus noster, et visita nos in afflictione nostra; et vide peregrinationem nostram; quia tu es qui das mercedem iustitiae, et salvas eos qui confidunt in te ». At sanctus Apater stabat psallens in psalterio Davidis et dicens: « Deus gloriae, recordare mei, *quia tu es Deus clemens. Respice ad nos, Domine, quia non cognoscimus alium praeter te, quia misericors et clemens es tu. Memento, Domine, quod pulvis nos sumus; sed hominis tanquam fenum sunt dies [1]. Nos scimus et confitemur quia tu respicis ad nos in omnibus operibus, et nihil absconditum est coram te. Quia Deus misericors et clemens es tu. Iesu bone, adspice probrum nostrum, et adiuva nos donec consummaverimus certamen nostrum ». Haec dixit Apater, et eius soror respondit sermone eorum patrio, cum essent in carcere.

Et lucescente die, nuncii venerunt ad sanctum Apatrem, et invenerunt eius sororem iuxta eum, et mirati sunt; et postea deduxerunt eos ad praetorium; et Samuel sequebatur eos, et adibat eos in carcere. Et sanctus Apater dixit ei: « Deus retribuat tibi, frater mi, quia explevisti iussum Dei erga nos ». Et postea adduxerunt eos ad praesidem, qui dixit ei: « O Apater, nonne bonum est cor tuum, ut tus offeras diis regis? » Et sanctus Apater respondit, et dixit: « Non fiet ut offeram tus; et saepe recusavi, et non feci voluntatem tuam. Et nunc etiam iugula me et sororem meam citius; quia et sermo noster et corpus nostrum unum sunt ». Et postea praeses sciscitatus est de milite Iohanne; et narraverunt ei quomodo ille erat domo sua, cum esset caecus, et quomodo multa mira facta sunt ab Irene, sorore Apatris. Et praeses dixit: « Ite, prehendite eum manu, et adducite eum ad me ». Et cum Iohannes pervenisset ad praetorium, aperti sunt oculi eius: vidit, et clamavit, dicens: « Unus est Deus sancti Apatris et Irenis, eius sororis; et non est alius deus nisi ille, o praeses! Dictum est: ‘Noli facere

[1] Cf. *Ps.* CII, 14.

malum, ne malum invenias [1]'. Ego ivi ut malum facerem, et bonum me invenit. Et ego confiteor, toto corde meo, me christianum esse, et unum e numero populi Iesu Christi ». Et haec dixit coram praeside. Et ecce duae feminae meretrices venerunt clamantes et dicentes: « Nos christianae sumus ». Et adspexerunt Irenem, et accesserunt ad eam, et salutaverunt eam, et dixerunt ei: « Benedicta sit hora qua tecum convenimus, quia misericordia Dei invenit nos ». Et praeses respondit et dixit: « Quid accidit *Iohanni? » Et locuti sunt ei verba probrosa quae audire non licet. Et *praeses* mandavit ut reducerent eos ad carcerem, donec cogitaret quid faceret de eis. Et postea conversus est ad Apatrem et dixit ei: « Ego hic maneo propter te. Accede enim, et tus offer diis, ne moriaris morte mala ». Et sanctus respondit et dixit ei: « Ego autem tus non offeram diis tuis impuris, qui non respirant ». Et tunc praeses iussit sanctum affigi arbori magnae cum multis aculeis; et in eum id fecerunt. Et tunc tradidit spiritum suum. Et proiecerunt eius corpus, ut illud devorarent canes; et procul steterunt ut viderent quid futurum esset. At canes non appropinquaverunt ad eius corpus, sed procul constiterunt illud custodientes.

p. 184.

Et tunc tremuit terra; et Dominus noster Christus descendit e caelo, et cum eo milia milium angelorum; et stetit ubi erat corpus sancti Apatris, et clamavit, et dixit: « Electe mi, Apater, surge rursus e morte; ego sum vivificator creaturae, qui iubeo te vivum rursum adesse ». Et sanctus Apater surrexit quasi vir qui vino satur sit; et adoravit Salvatorem, qui consolatus est eum, et obfirmavit eum, et ei dedit pacem, et ascendit in caelos. Sed sanctus Apater descendit, et ambulavit pone milites, donec pervenerit ad eos, et ingressus est in praetorium. Et cum populi vidissent hoc magnum miraculum, clamaverunt dicentes: « Non est deus nisi Iesus Christus, Filius Dei vivi, qui liberavit sanctum Apatrem servum suum, et surgere fecit eum rursum e morte ». Et praeses iratus est valde, et praecepit ut eiicerent eos extra urbem, et abscinderent eorum capita acuto gladio. Et necaverunt eos, et hi acceperunt coronas immarcescibiles in regno caelorum. — Eorum benedictio sit cum eorum dilecto... per saecula saeculorum. Amen.

[1] *Eccli.*, VII, 1.

CAPUT VI.

Et postea praeses dixit sancto Apatri: « Adspice nunc quemadmodum mortui sunt omnes illi viri propter te: age nunc, tus offer diis ». Et sanctus dixit ei: « Optime dixit propheta
p. 185. David [1]: * 'Dei gentium sunt aurum; os habent, et non loquuntur; oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt; nares habent, et non olfaciunt; manus habent, et non palpant; pedes habent, et non ambulant; et non loquuntur gutture suo; et non est spiritus in eorum ore. Ita sint omnes qui fecerunt eos, et qui confident in eis, et colent eos. ' Quia dixit Salvator noster [2]: 'Ne timueritis eos qui occidunt corpus vestrum, et non est eis potestas aliquid amplius faciendi: sed timete eum, cui est potestas eiiciendi animam et corpus simul in ignem gehennae '. Et adhuc dixit [3]: 'Cum adducent vos ad forum coram regibus, et iudicibus, et potentibus, ne cogitetis quid loquamini et respondeatis, quia ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere ii qui contradicunt vobis, neque respondere poterunt.' Et nunc etiam, praeses rebellis, quod facere voluisti fac citius [4], quia ego fero in corpore meo passionem Domini nostri Iesu Christi [5] ». Et cum praeses audivisset haec verba, iratus est valde; et praecepit ut proiicerent sanctum in lebetem, et ignem accenderent subter eum. Et id fecerunt in eum, et perstiterunt accendentes ignem subter eum per dies tres et totidem noctes, cum quidem sanctus esset in eo. Praeses autem laetatus est magna laetitia, et existimavit sanctum mortuum esse, et clamavit dicens: « Ubi nunc est eius Deus? Veniat igitur, et eum liberet a manu mea ». Et statim exundavit e lebete magnus fluxus aquae, qui attigit eos qui illic adstabant; et omnes quos ista aqua tetigit leprosi mox facti sunt. Et cum populi vidissent, clamaverunt dicentes: « Nobis malum ne facias, sancte Dei; quia nos scimus quomodo Deus tuus sit misericors et clemens ». Et beatus martyr Apater locutus est eis e lebete, et dixit eis: « At si confisi eritis in Deo meo ex toto corde vestro, sanabimini a morbo vestro ».

[1] *Ps.* cxii, 12 et seq. — [2] Luc., xii, 4. — [3] Matth., x, 19; Luc., xxi, 14-15. — [4] Cf. Ioh., xiii, 27. — [5] Cf. *Gal.*, vi, 17.

Et populi clamaverunt dicentes: « Non est deus in caelo aut in terra nisi Christus, Filius Dei vivi ». Et mox sanati sunt a dolore; et facti sunt sicut illi quos nunquam dolor attigit. Et lebes quidem fractus est in duas partes; et sanctus exiit sa-
5 nus *et salvus; et dixit populo: « Firmi estote in fide, ut ac- p. 186.
cipiatis coronam incorruptibilem ». Et tunc praeses praecepit ut abscinderent eorum capita acuto gladio. Et absciderunt ea; et illi abierunt in aeternam felicitatem.

Praeses autem iratus est magna ira; et praecepit ut adscen-
10 dere facerent sanctum Apatrem et Irenem, eius sororem, in torcular, et premerent eos, et eorum lumbos dilacerarent scalpro ferreo; et in eos ita fecerunt. Et sanctus ad patientiam hortabatur sororem suam, dicens: « Firma esto, ut mecum accipias hereditatem caelestem ». Et Dominus Christus suscepit
15 petitionem electi sui Apatris, et ascendere fecit Irenem in habitationem excelsam, et ei ostendit Hierosolyma caelestia et sedem *angelorum* lucentium, et ecclesiam christianam primogenitam. Et illa quidem laetata est, et magna consolatione repleta. Et lictores dicebant: « Ecce laboravimus, hanc puellam virginem
20 excruciantes: illa vero poenis non commovetur ». Et eam descendere fecerunt e torculari; et illa commovebatur poena. Et sanctus Apater plorabat propter illam dicens: « Constans esto, soror mea parva, ut accipias coronam quae non corrumpitur. Salutem tibi, soror mea dilecta; ego autem post haec non vi-
25 debo amplius faciem tuam super terram, sed tantum in regno caelorum ». At praeses dicebat eis: « Audite me, et sacrificate diis, ne puniam vos graviore poena ». Et sancti dixerunt ei: « Te non audiemus, neque relinquemus verbum Dei caeli et terrae in aeternum ».

30 Et cum sancti dicerent praesidi haec verba, ecce venit ad eum quidam vir, cui nomen erat Paphnutius, e gente Tentyrorum oriundus, et confessus est Dominum Christum coram praeside; et praeses comprehendit eum, et misit eum cum lictoribus Antiochiam ad regem Diocletianum. Et sanctus Apater scripsit
35 epistulam ad custodem carceris, in qua ipsi commendabat eum, et ita dicebat: « Salutem tibi, dilecte mi, quem educavi in domo mea. Ego dilectus tuus Apater, servus Iesu Christi, Verbi primordialis Dei veri, te saluto in desiderio, dilecte frater, cui paratae sunt coronae tres, et martyr fuisti sine effusione san-

p. 187. guinis, sed per puritatem tuam, et rectitudinem *cordis tui, et laborem quem laboravisti propter Deum tuum Creatorem, sicut servus Iesu Christi Dei Creatoris. Eius auxilium et misericordia tecum sint cum transieris ab hoc mundo fugaci. Et nunc etiam ecce perveniet ad te lucens stella, sanctus Paphnutius e gente 5 Tentyrorum; et cum tecum convenerit, fac petitionem suam, et curam *de eo* habeas in omnibus, et condi eius corpus sanctum. Et item scribe omnem eius laborem et certamen, et mitte eius Acta ad Aegyptum in pace Dei. Amen ».

Caput VII. 10

Et eadem nocte Salvator apparuit sancto Apatri et Ireni eius sorori, et locutus est eis, et dixit eis: « Salutem vobis, dilecti mei, et electi mei, et amici mei puri. Estote firmi nunc, quia ecce appropinquavit *tempus* quo vos inducam in regnum caelorum; ab hac die usque ad diem sextum consummabitis cer- 15 tamen vestrum, et accipietis coronam quae non corrumpitur ». Et his dictis, eis benedixit, et adscendit in caelos. Et postero die adduxerunt sanctos, et eos constituerunt coram praeside, qui praecepit ut scriberent eius gesta et abscinderent eius caput et caput Irenis eius sororis. Sed praeses adiuravit sanctum 20 per nomen Iesu Christi, ut ei indicaret nomen suae urbis. Et sanctus Apater dixit ei: « Ego etiam pariter te adiuro, rebellis, per deos tuos impuros, ne cum hoc dixero tibi, impedias me quominus perficeam certamen meum ». Et iuraverunt sibi mutuo ambo. Et sanctus dixit ei: « Ego sum Apater, magnus praefectus 25 militum ex urbe Antiochia ». Et cum praeses audivisset haec verba, clamavit dicens: « Vae mihi! domine mi, nam ecce me applicavi in stultitia mea ad rem vanam; et egi rem reprobatam; et nunc etiam oportet prius me mori quam te ». Et sanctus Apater dixit ei: « O praeses, malum quidem non adveniet tibi 30 propter me; sed obtinebis vitam et salutem. Ecce ego video angelum lucis qui modo accessit ad te, cum recesserit a te angelus tenebrarum; accessisti tu ad vitam et lucem divinam. Et nunc etiam, cum conversus fueris ad Dominum Iesum Christum, p. 188. et confessus eris eum, illum nempe esse Deum verum, *hoc ver- 35 bum perveniet ad regem, scilicet quomodo tu conversus sis ad fidem in Dominum nostrum Christum; et postea quaeret me,

et non inveniet me, et narrabunt ei quomodo consummaverim curriculum meum per manum tuam; et accedes ad eum, et eris martyr, et accipies coronam quae non corrumpitur ». Et praeses dixit ei: « Quis est qui docebit me egregiam sapien-
5 tiam fidei, et iter per hanc viam rectam? » Et sanctus dixit ei: « Ecce Philemon, qui est apud te in carcere, docebit te rectam viam iustitiae ». Et his dictis sanctus exiit a praeside cum militibus ad locum ut consummaret certamen suum.

Caput VIII.

10 Et cum sanctus Apater et soror eius pervenissent ad forum, protenderunt manus suas, et oraverunt ita dicentes: « Domine noster Iesu Christe, Deus iustitiae, primus Creator creaturae, audi nos etiam nunc, et libera nos, et consolare nos per apparitionem tuam ad nos priusquam exeamus ab hoc mundo
15 transitorio ». Et tunc factum est fulgur et tonitru, et apparuit Dominus noster Iesus Christus, ei gloria sit, qui vehebatur in curru Seraphim; et cum eo erant multi martyres, et sanctus Basilides, eiusque filii, et dux m a r Victor; et salutaverunt sanctos. Et postea Salvator locutus est cum eis et dixit: « Beati
20 vos estis, electi mei puri, amici mei, martyres nobiles et iusti. Ego autem dico vobis, omnem virum qui memoraverit nomina vestra, dum afflictione premitur sive mari sive terra, sive iter agendo per viam in qua latrones rapiunt, sive coram quattuor iudicibus, ego exaudiam, et mox liberabo eum. Et omni
25 viro qui fecerit aliquid boni in nominibus vestris, et cibum comedendum dederit famelico, sive potum bibendum dederit sitienti, sive vestem dederit nudo, sive hospitio exceperit peregrinos, sive visitaverit aegrotos et carcere inclusos, sive liberaverit afflictos, ego dabo duplo maiora in regno caelorum. Et omnis
30 vir qui obtulerit oblationem ad ecclesiam christianam vestram, vel fecerit commemorationem vestram, vel tegerit corpora vestra, faciam *ut sit vobiscum, cum eritis in habitatione angelorum lucentium. Et omnis viri qui scripserit certamen vestrum et laborem a vobis susceptum propter nomen meum sanctum,
35 ego scribam nomen in libro vitae. Et qui etiam aedificaverit ecclesiam christianam in nomine uniuscuiusque vestrum, ego faciam eum habitare in horto deliciarum usque in aeternum.

p. 189.



Et locum in quo deposuerint corpora vestra, non attinget probatio, neque afflictio, neque poena; neque in eum praevalebit hostis ex gentibus. Et quicumque accipiet paullum ex linteis vestris, et id reposuerit domo sua, non sinam in eum praevalere spiritus impuros. Et praesertim quicumque faciet bona in nomine vestro, ego faciam eum accumbere in mensa mille annorum. Ego sum Iesus Christus, martyr et fidelis primus, in diebus Pontii Pilati. Et corpus vestrum erit remedium cuicumque gravi morbo laboranti. Et aegrotos etiam, qui permanent in morbo suo et sanari non possunt, cum rogaverint me *in nomine vestro*, mox sanabo. Et ecce nunc etiam sancti martyres et angeli exspectant finem certaminis vestri, ut accipiatis coronam quae non corrumpitur ». Et cum Salvator haec dixisset eis, adscendit in caelos cum gloria. Et sancti dixerunt ensiferi: « Perfice omnia quae te iussit praeses rebellis ». Et ensifer accessit ad sanctam Irenem, et primo abscidit eius collum; et post eam abscidit collum eius fratris Apatris.

Et diaconus Samuel collegit eorum sanguinem panno mundo; et postea pollinxit eorum corpora sancta, et coniunxit eorum capita cum eorum cadaveribus; et tunc fuerunt quasi nunquam abscissa essent. Et cum milites vidissent hoc magnum miraculum, crediderunt in Dominum nostrum Christum, et acceperunt coronam martyrii. Et diaconus Samuel involvit eos in pannis mundis; et effudit super eos unguenta suavia et pretiosa; et eos sepelivit in orientali parte urbis, donec transierint dies persecutionis.

Et ita consummaverunt certamen suum sanctus Apater et Irene soror eius, et acceperunt coronam martyrii octavo et vicesimo die mensis maskaram.

Eorum oratio, et eorum benedictio, et donum eorum auxilii, et tutela eorum clementiae, et certamen eorum laboris, sint cum eorum dilecto Za-Walda Maryam, per saecula saeculorum. Amen.

EFFIGIES APATRIS.

I.

p. 190.

1 Per quadraginta annos alta nube caeli,
et sub administratione noctium splendente luce ignis,
5 sicut Verbum, lux sanctorum, duxit Israelitas;
Apater, duc me, servum tuum, per viam memoriae nominis tui,
cum Irene sorore tua virgine. [veluti per campum,

2 Confugio ad laborem tuum, quod aquam portabas in am-
ut adiuvares populum fidelium, qui in carcere erant, [phora,
10 dum adiuvat te Christi Sapientia, quae erant divitiae Salomonis;
Apater, propinque Irenis, a matre et a patre,
esto mihi virtus a gravi labore.

3 Confugio ad peregrinationem vestram, Irene et Apater,
ab urbe Antiochia ad patentem locum certaminis;
15 sicut nobilis Basilides suasit vobis in somnio,
vocate me ad vos voce admonitionis et consilii,
quia ego sum deses animo et servus otiosus.

4 Confugio ad vos, quod fuistis advenae in terra Esmunain,
quo Salvator peregrinatus est regnante Herode,
20 postquam Abukarazun vobis indicavit rem;
Apater et Irene, in domum vini, amorem vestrum,
introducite me, ut dixit fidelis Salomon.

5 Confugio ad peragrationem vestram, quo erat sanctuarium
ut ab illa vidissetis mirabilem virtutem et luctam; [Mehraelis,
25 Apater et Irene, adornati puritate et virginitate,
visitate eos qui sunt in poena et in perditione terribili, [cat.
nam testamentum clementiae vobis dedit [Deus], qui omnes iudi-

6 Confugio ad commorationem vestram per dies sex
in oppido iusti Samuelis, qui elevatus est in terra Gela;
30 Apater et Irene, qui consociati estis in certamine,
habitare facite me iuxta vos, dum facitis clementiam,
et participem facite me vobiscum magnitudinis et divitiarum.

[taminis,
7 Confugio ad adscensionem tuam in amplum suggestum cer-
et item ad lacerationem tuam acuto scalpro ferreo,
ad scuticam terribilis poenae, sanctae Irenis tormentum;
Apater, memor mei hora fletus et planctus, 5
esto mihi laetitia mentis multo auxilio.

8 Confugio ad vincula tua in carcere absque culpa,
sicut vinctus est Iosephus, cum esset in bono opere;
Apater, martyr, fili dilecti Bakrātis,
cum in honore adspexerunt te ipsum cum Irene, 10
mirata est turba praefectorum, et terra agitata est.

9 Confugio eo quod infixus fueris ad arborem magnam,
sicut super crucem Iudaei fixerunt illum, qui est essentia ab es-
cum virgine Irene, praedita venustate; [sentia,
ut sanguine martyrii tui, veluti aqua, mundus fiam ex mea 15
cum hyssopo gratiae asperge me, Apater, electe. [culpa,

10 Confugio eo quod coniectus fuisti in ventrem lebetis aenei
per dies tres, dum ignis est subter eum;
Apater rex, frater Irenis reginae,
obsecro, adiuva me die tremendi iudicii, 20
nam in te est virtus et in te auxilium.

11 Confugio eo quod steteritis in suggesto aeneo in concordiā,
donec gentes premerunt vos sicut suavem uvam;
domina Irene, et domine Apater,
confirmate animam meam, nam est anima viri peccatoris, 25
cum stabit in monte Sionis, postremo Agnus stabit.

12 Confugio ad abscissionem colli tui secundo,
postquam primum abscissum est [collum] Irenis gladio militis;
Apater, quia cor tuum non defatigatum est certamine,
Christus promissum fecit tibi, et dedit pacem, 30
cum stetit iuxta te ad obfirmandum te.

13 Confugio ad sanguinem vestrum, postquam effusus est si-
quem collegit Samuel, iucunda collectione; [cut aqua,
Apater et Irene, si placeam vobis, dum vivus ero,
collocate supra caput meum albas coronas benedictionis, 35
quia laboravi in honorem vestrum hoc [carmen].

II.

1 Salutem tibi, Apater, columen sanctuarii magni certaminis,
pro regno terrestri consecutus es regnum caeli,
et thesaurum Adonai.

5 2 Salutem tibi, cum aurem praebuisti consilio Basilidis pa-
fecisti maiestatem praefecti sicut umbram, [tris tui,
Apater, iuvenis venuste.

3 Salutem tibi, ne videres ignem, qui nunquam extinguitur,
in igne lebetis perfecisti multa tormenta,
10 Apater, dux exercitus.

[mysterium,
4 Salutem tibi, dum tu, Apater, doces sororem tuam Irenem
de regione in regionem ad suscipiendum tormentum migrasti,
adeo ut certamen tuum mirabile fuerit.

15 5 Salutem tibi, notitia Mehraelis, veluti funis qui non rum-
quia traxit te, portasti iugum crucis, [pitur,
Apater, luctator.

6 Salutem tibi, dum facis divitias Bakrātis [hoc est] praelium,
Apater, laborasti, et magnum fecisti certamen tuum,
20 sicut dicitur in Evangelio.

7 Salutem tibi, die afflictionis meae admove ad me aurem
Apater, domine mi, nobilis, [tuam,
quandiu firma erit in te fiducia mea,
et in te adnixa erit anima mea.

V.

GADLA GALĀWDĒWOS

SEU

MARTYRIUM SANCTI CLAUDII

Martyrium sancti Claudii scriptum esse videtur in Aegypto; textus, graecus vel copticus, nondum repertus est, sed exstat eius versio arabica, ex qua facta est translatio gallica, quam publici iuris fecit Amélineau (*Contes et romans de l'Égypte chrétienne*, t. II, p. 1-54). — In epilogo narratur Martyrium scriptum esse a philosopho Aristotele (!), cui res gestas narraverit Anastasius, sancti Claudii famulus, et librum huius martyrii repositum esse in bibliotheca Cappadociae; asseritur praeterea versionem aethiopicam Martyrii factam esse ex arabico sermone, curante abba Salama, metropolita Aethiopiae, qui exeunte saeculo XIII floruisse videtur; re quidem vera versio aethiopica arabicum sermonem omnino redolet.

Aethiopicae versionis nota sunt apographa duo, quae continentur codicibus Abbadiano n° 179, fortasse saec. XVII; et Musei Britannici Orient. 686, saec. XVIII. Textum dedimus ad fidem codicis Abbadiani.

Effigies Claudii, quam dedimus ad fidem codicis Abbadiani n° 170 (fol. 34 *r*—37 *v*), habet strophas tres et quinquaginta; earum quaeque constat versibus quinque.

Aliud carmen in laudem Claudii, quod sequitur Effigiem in eodem codice Abbadiano (fol. 37 *v*), etiam addidimus. Strophis septem constat, earum quaeque versibus tribus, praeter postremam quae quattuor versibus constat.

MARTYRIUM SANCTI CLAUDII.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, unius Dei. Martyrium ducis martyris, validi et strenui in omni certamine, sancti Claudii, quod legendum est undecimo die mensis sanē, in pace Dei. Amen. p. 195.

Dixit sanctus spiritalis Constantinus, episcopus urbis Asiut, quae est una ex urbibus Sa'īd, in Aegypto, die festi sancti Claudii martyris, undecimo die mensis sanē:

Benedictus est Dominus Deus Omnipotens; et benedictus est Dominus noster et Salvator noster Iesus Christus; et benedictus est Spiritus Sanctus Paraclitus, qui dignos fecit nos ut conveniremus in hanc sanctam ecclesiam christianam, ad agendum festum martyris validi, cui Deus dedit omnem gloriam maiorem. Profecto sanctus Claudius stirpe regia erupit, et germinavit Antiochiae, sicut nobilis arbor, quae germinat mense miyāzyā, cuius odor est suavis; et sicut quasi lucerna illuminavit Antiochiam, ita Deus voluit eum illuminare luce sua gentes terrae Aegypti, et praesertim nostram urbem, quae propter pietatem suam eum haereditate accepit; sicut rapax lupus, is qui mortuus est, validus et nobilis Claudius fuit, cum auxilio Domini nostri Iesu Christi; is qui mortuus est propter eius nomen, fuit beatus et nobilis Claudius, cum auxilio eius Dei, salvus fuit diebus illis. Et nunc ita nos commemorabimus eius certamen.

Cum ageretur [decimus] et [octavus] annus regni regis Diocletiani gentilis, mense magābit, et, eodem anno, octava die Paschae sanctae; rex praedictus misit nuncios cum litteris per omnes urbes Aegypti et Sa'īd, usque ad finem provinciae Aethiopiae et Nubiae, quibus iubebat dirui ecclesias christianas, et comburi Scripturas sanctas, et liberos fieri servos christianorum, et exire ex dicione sua; etiam misit alteras litteras, in quibus praecipiebat, *in vincula coniicere omnes famulos ecclesiae christianae, et punire eos, donec offerrent tus diis suis. Qua de causa, multi occisi sunt propter nomen Domini nostri Iesu Christi, episcopi, et presbyteri, et diaconi, et subdiaconi, et anagnostae, et monachi, et laici, et viduae, et virgines, et nuptae, et servi, et ancillae, et milites, et p. 196.

prae omnibus, quae nuptae erant christianis, multis suppliciis. Quidam ex iis perierunt sub iactu lapidum, alii perierunt igne combusti, alii ferro candenti, alii obiecti bestiis dilacerantibus et alii perierunt gladio. Quanquam autem eis haec omnia accidebant afflictiones et supplicia, clamabant et dicebant: 5 « In nomine Domini nostri Iesu Christi salvi sumus; nos christiani publice sumus ». Et temporibus illis non fuit salvus ullus quidem ex fidelibus, diebus Qero, qui sedit post Decium; et post eum sederunt Aerianus, et Phares, et Qeros; et hi reges regnaverunt per annos tres, et mortui sunt. Et fuit re- 10 ginae Farson soror dominae [1]; et nomen eius Euphemia; quae habebat filios tres; et hi fuerunt: Ptolemaeus, et Aromianos, et.....; Ptolemaeus autem uxorem duxit feminam ex progenie sua, quae peperit ei filium nobilem, qui est revera sanctus Claudius. 15

Et Numerianus regnavit Romae, castam vitam agens; et cum venissent gentes e deserto quod est occidentem versus, periit hasta ictus. Et post eum regnavit rex Diocletianus, qui erat christianus, et audaces in eum se praebuerunt gentes deserti, et coeperunt cum eo dimicare per annos tres; et post bellum 20 defatigatus est, et Romani ab eis agitati sunt.

Et beatus et sanctus Claudius, Ptolemaei filius, cum admodum adolescentulus esset, didicit totam legem, et opera, et sapientiam, sicut propheta Moyses, et intellexit libros sanctos, donec adolevit; et ille fuit vir valde egregius; et fuit dux in 25 hasta fortis. Et Deus eum custodiebat, et eum corroborabat, et eum ducebat in omnibus operibus suis, quod esset pulcher facie. Et duces, et viri regales, et qui erant Antiochiae, etiam e gente Romana, mirabantur suavitatem eius vocis, et p. 197. eius prudentiam, et bonitatem eius sermonis, *et adspectum 30 eius pulchritudinis. Et cum videbant eum in bello, mirabantur eius fortitudinem, adeo ut eius fama pervenerit ad regem Romanorum; et cives Antiochiae pinxerunt eius effigiem, et miserunt eam ad urbem Romam regi Romanorum; et scripserunt huic omnia eius facinora, et magnam eius laudem; et rex 35 adornavit ea imagine domum regiam suam.

Et rex voluit eum videre, et scripsit ad Ptolemaeum, eius

[1] Textus corruptus videtur.

patrem, rogans eum ut mitteret filium, ut conspiceret eum. Et omnes viri regales invidebant ei propter firmitatem eius virtutis et venustatem eius adspectus. Et cum epistulae regis Romani pervenissent ad Ptolemaeum, is dixit Diocletiano: 5 « Volumus mittere Claudium ad regem Romanorum; nam is mihi misit nuncium, requirens a me ut mitterem filium meum ad eum; at ego non sinam filium meum ire cum hoc nuncio. » Et rex Diocletianus assensus est in hac re; et misit eum magno cum honore; et profecti sunt cum eo copiae Romanae et 10 viri Romani, qui cum illo erant Antiochiae. Et cum appropinquaret ad urbem, rex exiit obviam ei; et cum vidisset eum, dixit ei: « Esne tu pro certo Claudius? Et homines per effigiem vultus tui certi facti sunt. Bene fecisti quod veneris ad me ». Postea rex amplexus est eius collum, et salutavit 15 eum, et adduxit eum ad domum regiam magno cum honore; et omnes homines domus regiae osculati sunt eius caput, et viris urbis etiam fuit magna laetitia propter eius adventum et laetati sunt eo quod adspexerunt eum; et rogaverunt regem, ut eum ostenderet sibi, ut satiarentur eius adspectu. 20 Et rex dixit eis: « Ita faciam cum eo ». Et rex dixit sancto Claudio: « Dilecte mi, ecce omnes homines urbis volunt te contemplari, conscende igitur, et ego etiam ero tecum, et exi per plateas urbis, ut omnes adspiciant te ». Et Claudius respondit, et dixit ei: « Ita faciam ». Et rex induit ei vestem pretiosam, 25 regiam vestem, et imposuit eius capiti diadema aureum, quod ornatum erat gemmis, et collo eius circumdedit monile aureum; et vehi eum iussit curru regio, gemmis ornato: nam ille Claudius erat e domo regia; et rex etiam *currum conscendit, et p. 198. omnes eius copiae eum stipabant; et circumivit per omnes pla- 30 teas urbis usque ad eius terminos; et omnes cives se in unum conglobabant per omnes plateas urbis ad aspiciendum eum, dicentes alta voce: « Bonus est adventus tuus ad nos, beate Claudi! ». Eius enim facies erat instar angeli, nam erat valde pulchra et peregrina omnibus qui videbant eum; et circumdabat 35 eum gloria Dei. Et cum ingressus est domum regiam, viri regales attulerunt ei multa dona et res pretiosas innumerabiles.

Et adfuit [vir daemoniacus] in itinere, cum regrederetur [Claudius, et currit ante hunc dicens: « Quid facis in hac urbe,] et quare huc venisti? Exi igitur ex hac urbe, quia

non possum te affligere; iam igitur vade ad urbem tuam, quia Barbari constituerunt eam capere; tu autem huc venisti, ut complaceas tibi in pulchritudine tua et in adspectu tuo, ut videant te omnes homines Romae; et si tu me non audiveris, et non iveris ad urbem tuam, Barbari comburent te igne ». 5 Et cum audivissent rex eiusque copiae verba huius viri daemoniaci, valde mirati sunt.

Sed cum ingressi essent domum regiam, et quievissent aliquot dies, Arores, rex Romanorum, dixit Claudio: « Domine mi, rogo te ut maneas apud me, et faciam te summum con- 10 siliarium regni mei ». Ille vero monuit id sibi licitum non esse. Et paucos post dies pervenit nuncius regis Armeniae cum litteris ad regem Romanorum, in quibus dicebat: « En ego veniam adversus te cum copiis, sicut ignis qui flammam edit in ligno ». Et eodem tempore rex Romanorum tremuit, et Clau- 15 dius dixit ei: « Ne timueris, rex; nonne scriptum est, quod Deus supplantat exercitum? » Et rex dixit ei: « Timeo, quia mihi non sunt vires ad bellum gerendum contra Armenios; sed si tu mecum eris, Claudi, non amplius timebo illos ». Et post de- p. 199. cimum diem pervenerunt Armenii et Franci. *Et diebus illis 20 Armenii colebant simulacrum, cui nomen erat ʿof ʿenqē, *id est* avis accipiter [1]. Et actum est proelium eorum in quodam loco iuxta fines Romae, qui notus erat nomine falaga berur, *id est*, fluminis argenti [2]. Et Claudius erat cum rege in medio eorum; postea gladio percussit eos, donec eorum sanguis fluxerit 25 super terram sicut aqua. Et devicti sunt omnes cum ignominia; et rediit rex eiusque exercitus, et Claudius etiam post eos; et ingressi sunt in urbem magna cum laetitia. Et rex mandavit ut Claudius adscenderet in currum aureum, et canerent tubae ante eum et post eum, et omnes viri regales et homines urbis 30 circumdarent eum, dicente praecone: « Vivat Claudius per multos annos! » Et ita fecerunt, donec circumivisset totam urbem; et rediit in domum regiam.

Et paucos post dies Claudius rogavit regem, ut ei daret licentiam abeundi ad urbem suam. Et rex rogavit eum ut se- 35 cum maneret; retinuit eum unum diem, propter amorem erga

[1] Arabice Bag (Amélineau, *Contes et romans de l'Égypte chrétienne*, II, p. 8). — [2] Arabice Arigharas (*Ibidem*, II, p. 8); Ἀργυροποταμός (Iohannis Malalae, *Chronographia*, l. xii; ed. Bonn, p. 307).

eum; et misit pictores qui pinxerunt eius effigiem in urbe Roma; et postea dimisit eum magno cum honore ad eius urbem. Et cum Claudius pervenisset Antiochiam, rex Diocletianus laetatus est propter eum, et obviam venit ei pulchro occursu.

5 Postea Barbari ausi sunt bellum inferre Romanis; et rex exiit cum suis copiis Romanis; et Barbari descenderunt Antiochiam, et comederunt omnes eius segetes sicut locustae; et Romani timuerunt coram Barbaris propter eorum multitudinem. Et cum firmum haberent consilium dimicandi contra Romanos, Barbari 10 adduxerunt simulacrum aureum specie feminae, et secum portabant illud in bello; et in eius capite erat cassis; et Satan erat in eo; et Barbari laeti erant valde eius causa [1]. Post haec Barbari firmi fuerunt, et magna vi commixti sunt cum Romanis; et tunc observarunt Diocletianum et eum agnoverunt. Et erat 15 *Barbarus* quidam, cuius robur erat firmius quam militum Romanorum; et ille excussit Diocletianum ex eius curru, et adduxit eum ad copias Barbarorum; et is vir similis erat bestiae, et valde altus; et in eius capite erat magna galea ferrea; et eius capilli erant sicut iuba leonis; et magnitudo eius lan- 20 ceae septem cubitorum. Et validus dux dixit ei: « Num tu es Diocletianus, qui ex ipso corde tuo venisti ad dimicandum mecum? *Et ecce ego comburam te igne in medio exercitu tuo; p. 200. propterea adora simulacrum aureum ». Et dux iussit adduci hircum nigrum, et mactarunt eum eidem simulacro in obla- 25 tionem. Et Satan locutus est Diocletiano e simulacro, et dixit ei: « Si autem feceris voluntatem meam, ecce ego eripiam te e caede et ex his magnis vinculis; ecce enim constituerunt ire in urbem tuam, ut comburant eam et captivos faciant omnes qui in ea sunt ».

30 Postea, cum hic strenuus Claudius rescivit Barbaros comprehendisse Diocletianum, nocte imploravit virtutem Spiritus sancti, et ingressus est in media castra Barbarorum; et cum illo erat angelus Dei, sicut flamma ignis comburens eos; donec eo pervenit, ubi rex Diocletianus erat vinctus; et solvit eum, 35 et cepit eum, et portavit eum equo suo vectum ante se; et equus Claudii pede percussit simulacrum, illudque fregit; et pede percussit, donec id contrivit valde; nec quisquam ex Bar-

[1] Idolum appellabatur Tafouki (AMÉLINEAU, *Contes et romans de l'Égypte chrétienne*, II, p. 9 et 10).

baris potuit adspicere ad dextram neque ad sinistram; et inter se dicebant: « Estne is idolum Christianorum? » Et beatus Claudius adduxit Diocletianum ad eius exercitum, et rediit ad Barbaros, neque desiit eos interficere gladio, donec fuit vespera; et vicit Barbaros firma virtute sua; et rediit Antiochiam 5 magna cum laetitia secum habens signum victoriae, et in eius manu erat auxilium. Et paraverunt ei epulas per septem dies propter salutem regis Diocletiani.

Postea rex coluit memoriam beati Claudii multis honoribus atque donis innumerabilibus; et venerunt ad eum multi 10 primores eius regni, et unusquisque eorum amabat sanctum Claudium propter eius robur et eius modestiam. Et ille cotidie comedebat cum rege ad eius mensam; et conveniebant et deliberabant de omnibus negotiis regni. Et Claudius in eleemosynas dabat omnia quae ei afferebant rex et eius primores, 15 advenis et pauperibus; et adiuvabat minimos opibus suis; et rogabat regem pro vinctis, et propter eum rex solvebat illos; et rex dixit ei: « Ego maneo in potestate tua; et omne regnum meum tibi obediet ». Et diebus illis Diocletianus erat p. 201. christianus; sed Satan invidit *ecclesiae christianae; et decepit 20 cor Diocletiani ut idola coleret; et Diocletianus reliquit religionem Dei caelorum; et diruit omnes ecclesias christianas per dies continuos; et Claudius saepe dicebat ei: « Averte te, rex, ab ira tua; et si permanseris in malo consilio tuo, Deus auferet a te regnum tuum, et illud dabit ei qui diligit eum ». 25 Et Claudius perseverabat omni tempore dicens talia et similia verba. Et Satan secum ipse dicebat: « Si reliquero hunc Claudium in hac urbe, capiet a me regnum meum; melius mihi est me iniicere in cor regis ut urgeat eum ad idola colenda. Et si audiverit eum, facta est voluntas mea; sin aliter, fa- 30 ciam ut procul amoveat eum, et in exsilium mittat eum ». Et insusurravit Satan in cor regis, donec is dixit sancto Claudio: « Ego cupio, dilecte mi, ut deis offeras tus ». Et sanctus Claudius risit, et dixit ei: « Num cupis mihi facere, prout incantavit te Satan? Ne hoc putaveris, quia ego nolo adorare deos 35 impuros ». Et rex saepe rogabat et urgebat eum; sed eum non convertit ad se, neque is ei respondit hac de re.

Et erat Diocletiano quidam consiliarius, cui nomen erat Hermanus; et is habebat filium, cui nomen erat Victor; et qui iu-

venis erat beatus et amicus Claudii; et cum eo adolevit in aula regia; et omni tempore discedebant in secretum ad loquendum de caecitate cordis Diocletiani apostatae, et de iis quae eventura erant ei, quod reliquerat religionem Dei gloriosi,
5 et de eius lapsu ad colenda idola. Et paucos post dies Claudius dixit Victori: « Frater mi, hoc die is apostata misit lictores ad terram Aegypti, ut occiderent sanctum Psoti, episcopum Antinoou, de quo heri locutus es mecum ». Et sanctus Victor dixit: « Ecce contristavisti cor meum, frater mi, cum
10 mihi id dixisti; sed fiat voluntas Dei! » Et sanctus Claudius dixit ei: « Frater mi dilecte, visionem habui superiore nocte; videbam *me et te adstantes iuxta oram maris, dum spectamus naves, in quibus erant multi homines; et omnes demersi sunt in mare. Et rursus venit magna navis, quae plena erat
15 speciosis hominibus qui pervenerunt ad locum ubi nos adstabamus. Et ex illis adscendit episcopus Psoti, indutus magna luce; et is dixit mihi: ' Novisti me, Claudi? ' Et dixi ei: ' Minime, domine mi '. Et ille dixit mihi: ' Ego vero sum Psoti, episcopus Antinoou; veni ad vocandum te et amicum tuum
20 Victorem; et ut rapiam vos mecum in Aegyptum, quia ego et vos moriemur propter nomen Domini nostri Iesu Christi, filii Dei unigeniti; ego autem certabo in urbe cui nomen est Qaou; et etiam tu, Claudi, relegaberis ad urbem quae appellatur Asiut, et transfigeris hasta, et illic moriere; et Victor etiam
25 relegabitur ad urbem Antinoou, et illic vincietur iuxta portam arcis, et postea gladio morietur. Tu autem et ego, moriemur paucis suppliciis; sed frater tuus Victor, quia e gente regia est, punietur magnis suppliciis, et assequetur magnas angustias; et dire permanebit iuxta tribunal iudicii; et nominibus vestris
30 erit magna memoria in omni loco. Et martyrium Victoris erit iuxta montem orientalem; martyrium vero tuum erit iuxta montem occidentalem; et permanebit corpus tuum occultum in terra, postquam absolutum erit martyrium tuum, per multos dies; et hos post dies erit pastor egregius et sanctus, et pa-
35 tefaciet corpus tuum, et curabit aedificandam ecclesiam christianam nomini tuo dicatam; et in illa ponet corpus tuum; et illic fient mirabilia multa. Et huic Victori erunt *dicatae* innumerabiles ecclesiae christianae, quae aedificabuntur nomini eius per orbem; et manifestabuntur mirabilia multa '.

p. 202.

Et cum ille haec dixisset mihi, salutavit me, et ego consalutavi eum. Et postea experrectus sum e somno ». Et sanctus Victor dixit ei: « Num veritas tua est, *vere*, frater mi, vidisti miraculum? at si deceat me videre hunc sanctum id praestantius erit mihi ». Et ambo ploraverunt psallentes et dicentes: « Laetus sum, quia mihi dixerunt: Ad domum Dei ibimus[1] ». Neque desierunt *orare et rogare usque ad vesperam.

p. 203.

Postea iverunt ad locum in monte, ut ibi mane participarent sanctis mysteriis; erat enim nox feriae primae, et viri huius urbis sacrificium celebrabant secreto. Et dum eunt ad ecclesiam christianam, obviam eis venit Satan specie hominis indutus, et apparuit eis specie viri, qui cognovisset eos in eorum urbe, et dixit eis: « Domini mei, quo itis? » Et dixerunt ei: « Per voluntatem Dei brevi tempore redibimus ». Et Satan dixit eis: « Domini mei ecce participabo vobiscum quod audivi: venit scilicet vir, et accusavit vos heri coram rege, et contra vos locutus est multa verba mendacii, quae non decent vestram dignitatem; et id est quod dixit, nempe vos colere Deum Galileorum; et nunc etiam, domini mei, [adorate deos regis][2] ut confundatur accusator; ecce enim gentes Africae, et Cappadociae, et Aegypti, et ex omnibus provinciis eius paruerunt edicto regis et ei obedierunt. Audite igitur et vos, et properate cras quo sunt dei regis, et adorate eos, ut confundatur accusator vester coram rege, qui praecedet vos; rex autem non aliud vult, nisi ut adoretis et tus offeratis semel; et postea redibitis ad locum, ubi fuistis; et honorem vestrum ne despiciatis coram illo qui humilior est vobis. Tu autem, Claudi, e gente regia es; et eodem modo certe dominus meus Victor filius est summi ducis consiliarii regis; quis igitur illustrior vobis est? Et praesertim reges longinqui cupierunt videre tuam pulchritudinem, domine mi Claudi. Et cum rex Romae audivisset negotium triste quod tibi accidit, maestus fuit valde, quia valde diligebat te. Et quia peregrinos huius urbis divites reddidisti, hi etiam, domine mi Victor, si acciderit vobis aliquid probri, sane morientur fame. Sed ego non suadeo malum hominibus, sed cupio salvari omnes et singulos. Nunc igitur audite me, quia ego sum maior natu quam vos; vos autem

[1] *Psalm.* CXXI. — [2] Haec aut similia verba excidisse videntur.

iuvenes estis, et non percipitis iram regis. Nonne audivistis dictum: 'Vox regis valida est, et dirimit?' Et ego quoque christianus sum ut vos, neque adoravi deos nisi semel; et mansi clam in lege mea; et nemo* locutus est mecum de hac re. Et diligo vos toto corde meo; et opto *vobis* bonum, sicut diligo meipsum; ego enim servus sum vester et patrum vestrorum; et ab infantia vestra portabam vos in humeris meis ». Et sanctus Claudius dixit ei: « Quis es tu? » Et ille dixit ei: « Ego sum Dionysius, quem rex Numerianus misit in Armeniam cum litteris, et reversus sum apud eum in amicitia, quia ego vir pacificus sum, qui omnibus diebus vitae meae ambulo in pace ». Et cum haec dixisset, motus est spiritus sanctus qui erat super Claudium, qui dixit beato Victori: « Is vero inimicus et adversarius est; Dominus meus procul amoveat eum, et a nobis fuget eum ». Et statim procul recessit ab eis, et eius aspectus mutatus est coram illis: factus est alti spectri instar, et oculi eius pleni erant sanguine, et capilli eius sicut pili capri; et flamma ignis exiit ex eius ore; et in eius manu erat quasi securis ferrea; et eius aspectus erat valde terribilis. Et postea clamavit voce magna, dicens: « Quid est mihi tecum hodie, Claudi? Ecce enim christiani coangustarunt me ubique. Si pergam ad Persiam, illic inveniam Mercurium, qui vexet me; et si ibo Romam, illic inveniam effigiem tuam, Claudi, quae expellat me; sed ego ivi in terram Aegypti, et elegi filium meum Diocletianum, et adduxi eum Antiochiam, et annui cum eo habitare apud eum. Et ecce nunc etiam, Claudius et Victor, filius Hermani, pacti sunt me expellere ex ea [urbe]; iuro per vitam tuam, Claudi, faciam ut rex expellat te in terram alienam, et faciam ut illic moriaris hasta, transfixo latere tuo, sicut Dominus tuus, quem colis; et faciam ut sacerdotes idolorum vastent sepulcrum tuum pulvere, sicut Iudaei fecerunt Domino tuo illis diebus. Et tu etiam, Victor, iuro per donum roboris mei, faciam ut puniant te gravibus poenis in omni refugio in quod expellent te. Et si dimicaveritis in hac *urbe, scitote quidem, quod sanguis vester expellet me ex ea; et propterea ego iam delebo memoriam vestram; et auferam vestigia vestra; ego autem laboravi impugnans ecclesiam christianam, et nihil possum adversus eam. Sum ego qui feci ut filiae Lot concumberent cum patre suo, neque tamen reputatum

p. 204.
p. 205.

est eis peccatum. Feci ut Aron fabricaretur filiis Israelis bovem fusilem, et non fuit ei peccatum. Feci ut David concumberet cum uxore Uriae, et illa gratum habuit ut occideret maritum suum: neque ei tributum est peccato. Feci ut Nabuchodonosor, rex Babyloniae, expugnaret ecclesiam christianam [1] et everteret 5 eam, et id factum est, quod Deum non cognoscebat; feci ut proiiceret tres pueros in fornacem ignis, et in illis cognovit Deum. Praeterea Daniel destruxit templum idolorum meorum, quod erat in Babylonia, et occidit draconem, qui erat habitatio mea, et fuit amicus regni. Feci ut duo iuvenes [2] sa- 10 cerdotes dicerent falsum testimonium adversus Suzanam, quae me confudit firmitate fidei. Et ego suscitavi populum Iudaeorum adversus Christum, ut occiderent eum, et ille devicit potentiam meam. Ego feci ut Petrus, princeps Apostolorum, ter negaret Christum, et non imputatum est ei peccatum. Feci ut 15 Paulus inimicus esset ecclesiae christianae Dei, et postea iustus factus est apud Deum. Post finem omnium illorum requievi paullum; et ecce, Claudi et Victor, fili Hermani, apparuistis Antiochiae, et coepistis expellere me; et hominum qui mortui sunt propter nomen Domini nostri, ecce curavistis sepelienda 20 corpora, et implevistis hanc urbem eleemosynis. Et nunc etiam angusta facta est a vobis amare (?). Et eodem modo etiam Petrus, patriarcha Alexandriae, expulit me ex ea urbe; praeterea Psoti, episcopus urbis Psoi, mihi ademit omnia templa idolorum urbis Psoi; recede a me, Claudi, quia non potestis re- 25 sistere mihi. Iuro per vitam tuam, diruam ecclesias christia- p. 206. nas, quae aedificabuntur in nomine tuo in *Sa'id, et erunt dirutae usque ad longinquos dies. Et etiam tu, Victor, recede quidem a me, quia parvus es coram me, et iam faciam ut expellant te, et sis peregrinus in eremo, et adstes ad 30 tribunal iudicii, quia est amarus dolor ». Et Claudius sumpsit lapidem, et percussit eius faciem, dicens: « Abi a me, Satan, inimice omnis iustitiae; Deus dissipet te et te confundat ». Postea Satan fugit confusus, et beatus incepit orare psalmum XXVI, dicens: « Dominus illuminat me, et salvat me, 35 quid ergo terrebit me? » Et iverunt usque ad montem [3], et

[1] *Sic* ms. (!); haud dubie: « Hierosolimam ». — [2] *Sic*; textus biblicus habet « seniores ». — [3] Monasterium, ecclesiam.

acceperunt mysteria pura, et regressi sunt ad urbem suam in pace.

Et facto mane, rex nuncium misit ad sanctum Claudium, qui perveniens ad eum dixit ei: « Domine mi et dilecte mi, 5 quem diligo toto corde meo, rogo te, ut sis mecum hodie ad prandium regium; ecce enim est dies natalis ». Et annuit ei hac in re; et diem egerunt in prandio cum primoribus regni; et rex fecit ut accederet sanctus Claudius propius ceteris; et rex dixit Claudio: « Dilecte mi, scis quod admodum diligo 10 te, et non negavi te mane coram maioribus regni; et nunc etiam rogo te ut offeras tus deis semel, videntibus te omnibus; oculi maiorum nostri regni ecce aspiciunt te; iuro per vitam tuam, Claudi, dilecte mi, si lenius reddideris cor meum, cum obtemperaveris verbis meis, faciam te caput super omne re- 15 gnum meum et ducem in eo sicut me ». Sanctus respondit et dixit ei: « Audi, rex, et convertere ad Deum; et ille remittet tibi omnia peccata tua, propter misericordiam et clementiam suam, et culpam tuam propter eleemosynas, sicut dixit David et *sicut* propheta Daniel *dixit* Nabuchodonosori. Et nunc 20 vivus est Deus, Dominus meus Iesus Christus: etiam si mihi dederis omnia regna mundi et eius honorem, non offeram tus abominabile. Si autem conversus fueris, rex, ad Deum summum, *ille remittet tibi omnia peccata tua ». Et absoluto prandio p. 207. unusquisque ivit domum suam.

25 Erat autem cum sancto Claudio servus eius, qui semper eum comitabatur, cui dixit: « I ad vinctos, et prospice eis ante *me* ». Et ille servus fecit sicut Claudius iussit eum.

Et sanctus Claudius ivit ad domum Victoris, et narravit ei omnia quae rex dixerat ei; Victor autem moestus fuit, et di- 30 xit: « Magna est haec tentatio, quae pervenit ad christianos ». Et postea recitaverunt canticum trium puerorum, id est: « Benedictum est nomen eius laudabile, sanctum, et laudatum est, et excelsum est per saecula. Amen ». Et cum finivissent orationem suam, manserunt colloquentes de Scripturis sanctis 35 usque mane.

Et orta prima luce, rex misit nuncium ad ducem Claudium; cui cum pervenisset, dixit *rex*: « Euge! Bonus sit adventus tuus. Parati sunt summi consiliarii regni mei, et ideo misi nuncium ad te, ut oblectareris hodie, et mecum adesses offerendo tus

diis ». Et beatus respondit, et dixit ei: « Ecce exposui tibi semel atque iterum; unum verbum nonne satis est intelligenti et sapienti? » Et rex dixit ei: « Iuro publice per regnum meum, si laetificaveris cor meum, faciam tibi magnum prandium, et in illud congregabo omnes qui sunt in urbe, divites et pere- 5 grinos, et pauperes, et vobis dabo quadringentas libras auri, ut curam habeatis de pauperibus et de aegris ». Et sanctus dixit ei: « Honores tui tibi sint, rex; et amorem tuum et delicias domus tuae da alii; ego autem non tangam omnino tus tuum impurum ». Rex autem siluit, et non respondit ullum verbum. 10 Et sanctus Claudius exiit e domo eius hac die.

Et beato Claudio erat soror valde pudica et timens Deum, cui nomen erat Theognosta, uxor magistratus e primoribus regis, cui nomen erat Sotericus. Et maritus eius narravit ei quae rex locutus erat cum fratre eius, et quae is responderat illi. 15 Et turbata est pro fratre suo, et confractum est cor eius. Cum autem Claudius egressus esset e palatio regis, ivit ad Victorem, et narravit ei quod accidit inter ipsum et regem; tunc Victor dixit ei: « Ego certo scio regem completurum esse voluntatem patris sui Satan ». Et sanctus Claudius dixit ei: « Ego autem 20 recordor verbum beati Psoti, qui dixit mihi: 'Cave tibi, fili p. 208. mi, ne *alius seducat te a Domino, Deo caeli et terrae, Domino nostro Iesu Christo' ». Et beatus Victor ploravit, et dixit ei: « Vae patri meo Hermano, qui dixit mihi: 'Cave tibi ne omnino audiatur os tuum memorare nomen Iesu'; et pro- 25 pterea moestum fuit valde cor meum, frater mi ». Postea rex misit nuncium ad Hermanum consiliarium suum; et consilium habuit cum eo de Claudio, sicut Absalom, filius regis Davidis, collocutus est cum consiliario suo. Et Hermanus dixit Diocletiano: « Audiat dominus noster quae dico: noli occidere Clau- 30 dium manu tua in hac urbe, ne insurgant adversus te homines urbis; est enim filius regis, et etiam patruus eius constitutus est rex ante te, et similiter eius avus ». Et rursus: « Si tu reliqueris eum, tunc insurgent adversus te adversarii tui, et tibi fiet inimicus, et consociabitur cum illis, et a te auferet regnum. Et 35 etiam rex Romanorum, qui Romae est, ipse diligit eum et is potens est apud illum. Et si miserit ad eum nuncios, insurget cum ducibus sui regni adversus te, et adiuvabunt se mutuo; nam tu scis illum esse huius amicum. Sed cupio ut expellas eum in pro-

vinciam Aegypti, ubi nemo cognoscit eum, ut illic moriatur sicut peregrinus ». Et Diocletianus dixit ei: « Admodum bonum est quod suasisti mihi; sed timeo ne rex Romanorum de eo audiat, et insurgat adversus me ad impugnandum me eius causa, 5 et fiat mihi inimicus; sed volo in exilium mittere eum, quod noluit mihi obtemperare, sicut suasisti mihi; ne pervertantur decreta regni mei, propter eius constantiam in transgrediendis iussis meis, et contemnendo me in regno meo, et negligendis praeceptis, quae locutus sum cum eo; ne forte alii fiant ei similes ».

10 Et cum factum esset mane, rex nuncium misit ad sanctum Claudium; et cum pervenisset ad eum Claudius, rex ei dixit: « Dimitte a te hanc rebellionem, et submitte te diis; e si non audiveris me, id que non feceris, in exilium mittam te in terram Aegypti, et illic morieris sicut peregrinus ». Et sanctus 15 respondit et dixit ei: « Potestatem habes in corpus meum, sed in animam meam solus Deus potestatem habet ». Et rex incepit eum allicere, et dixit ei multa verba; at ille non respondit ei. Et *rex* *admonuit eum omnino, cum minis et ira, ut averteret cor suum ab illo quem diligebat, seque converteret ad 20 ipsum *regem*. Et rex dixit ei: « Ecce exspectavi te ad tempus constitutum ut cor tuum persuasum habeat, in crastinam diem si obtemperaveris mihi, faciam tibi quidquid tu ipse dixeris mihi, et adhuc plus quam *dixeris*; si vero tu non feceris, in exilium mittam te prima luce, et non sinam te mecum ma-25 nere hac in urbe ». Et sanctus Claudius recessit ab eo, et invenit sanctum Victorem, qui manebat in atrio et exspectabat eum, ut sciret quid factum sit, et exiit cum illo. p. 209.

Et dum illi colloquuntur in platea, invenerunt virum, vulneribus plenum, qui cum vidisset eos, clamavit ad eos, dicens: 30 « Salutem vobis, domini mei Galilaei; recordamini mei hodie ex fructibus ut comedam ». Ille autem nudus erat. Et cum aspexissent eum, ambo exuerunt vestes suas, et imposuerunt eas illi; et cum eorum vestes tetigissent eius corpus, Deus sanavit eum a vulneribus suis, et mox constitit in pedes suos, 35 sicut qui nunquam aeger fuit, et cucurrit incedens pone eos usque ad locum in quo invenit eos, dum dolore affecti erant, et osculatus est eorum pedes, et dixit: « Domini mei, vere mihi fecistis magnam misericordiam, et me donavistis multo munere; sed timeo ne cum discesseritis a me, redeat in me morbus meus

sicut antehac ». Et illi refecerunt eius animum, et signaverunt eius corpus signo crucis gloriosae; et dederunt ei aurum, et dixerunt ei: « I, dum sanus es et permanet salus tua ». Et recessit ab eis magna cum laetitia.

Et sancti transegerunt hunc diem intenti orationi. Postea 5 Claudius accersivit Sotericum, maritum sororis suae, et dixit ei: « Scis mortuos esse patrem meum et matrem meam, et nihil reliquerunt mihi nisi sororem meam, quae uxor tua facta est. Et ecce rex decrevit me mane in exilium mittere in terram Aegypti; oro te ut tuearis eam sicut antea fecisti cum ades- 10 sem; per vitam tuam, frater mi, noli cor eius affligere, nam est hodie orba patre suo et fratre suo; recordare me nunquam tibi dixisse, frater mi, verbum quo cor tuum moestum fieret, et nunc etiam propter omnia quae fecisti, quia illa misera tibi p. 210. hodie commissa est, hodie vita mea erit in te, *ne dixeris ei, 15 regem me in exilium missurum, ne moriatur magna tristitia propter me; neque id dixeris familiae tuae ne referant ei et veta eos firmo mandato id revelare ei. Et si illa sciscitabitur de me, dic ei regem me misisse adversus tales, et cum eos vicero, instaurabo eorum urbem et eorum provinciam, et ma- 20 nebo in illa, et ducam (?) ad illam. Et nunc omnes opes meas accipe, et largire egenis et pauperibus ». Et cum Sotericus haec audivisset, clamavit magna voce, et ploravit, dixitque: « Quam magna est tristitia qua moestum est cor meum, frater mi et domine mi! » Et dimittens seipsum, se prostravit ad eius 25 pedes, et salutavit eum, et ploravit fletum amarum dixitque: « Vae mihi! quia magna est tristitia cordis mei, et etiam tristitia sororis tuae, cum audiverit haec verba; profecto proiiciet se ipsam in mare ». Et fletus fuit sine intermissione. Et Victor etiam proiecit faciem suam in terram dum plorat et 30 lamentatur, et dimisit se ipsum in terram. Et Claudius ploravit, et amplexus est illum, qui dixit: « Magna est tristitia cordis mei propter te, frater mi, et dilecte mi, Claudi, et magnus est clamor meus et tristitia mea propter separationem meam a te ». Et mansit adhuc cum illis Claudius, et transe- 35 gerunt diem et noctem, nihil comedentes neque bibentes.

Et cum factum esset mane, Claudius iterum adiuravit Sotericum, maritum sororis suae ut eam honoraret et custodiret, neque diceret ei quidquam de iis quae spectant ad ipsum

fratrem. Et dum illi versantur in his, rex misit nuncium qui iret ad Claudium; et rex dixit ei: « Num paratum est cor tuum obtemperare verbis meis et offerre tus deis semel tantum? » Et sanctus Claudius respondit, et dixit ei: « Iam
5 dixi tibi; non colam deos, neque adorabo nisi Deum patrum meorum, Dominum meum Iesum Christum ». Et rex dixit ei: « Non cupivi te a me procul amovere, neque eiicere te, neque in exilium mittere; sed tu ipse facis ut mittam te in exilium ». Et sanctus Claudius dixit ei: « Quod vis, fac; nam laetus sum
10 ea de re ». Et cum rex id audivisset ab eo, scripsit litteras, ut mitterent eum in terram Aegypti; et iussit sex milites ducere eum in terram Aegypti. Et ille profectus est a rege *cum sex militibus, usque ad mare; et sanctus Victor ibat cum eo, et plorabat, et eiulabat; et pariter maritus eius sororis, et
15 homines urbis plorabant propter illum magna cum tristitia. p. 211.

Et Antiochiae erat presbyter amans Deum, cui nomen erat Frumentius. Cum audivisset res gestas Claudii, festinavit ad eum, plorans, et dixit ei: « O victor et *vir* Dei valide, beatus es, Claudi, qui laboras pro Deo; beata sunt ubera quae lacta-
20 verunt te. Lucerna Antiochiae, quis similis est tibi, dux nobilis magni regis Christi? Cum tu sis e stirpe regum amantium Deum, quis alet pauperes et egenos sicut tu? Aut quis vestiet nudos, aut quis curabit de vinctis *in carcere* post te? » Et prostravit se ad eius pedes, et dixit ei: « Ego vero saluto te,
25 domine mi Claudi; memento mei, electe Dei ». Et propter magnam tristitiam suam elevavit manum suam in media turba, et dixit: « Proh! iniquitas huius diei! Qua lege vel quo iure occiditur strenuus urbis et eques egregius? David moestus fuit propter mortem Abneris et Saulis et Ionathae; hic autem rex,
30 qui comedit carnem et bibit sanguinem hominum sicut bestia fera, in exilium mitti iussit victorem, et extingui pugnatorem, et obscurari lucernam Antiochiae, et caedi arborem altam. Et Diocletianus venit in hanc urbem; et cum ipse esset peregrinus, eiecit primores huius urbis et ab ea procul amovit eos ».
35 Et dum ille loquitur accedit unus ex eunuchis regis, progrediens per viam; et cum audivisset quae dicebat presbyter, evaginavit gladium suum et occidit eum. Et sanctus Victor imperavit satellitibus suis ut sepelirent corpus sancti. Dixit etiam quaedam femina alii: « Soror mea, cur fuit in hac urbe ma-

gna discordia propter Claudium, cum vellent in exilium mittere eum in Aegyptum? » Et illa clamavit, dicens: « Ubi inveniam qui me perducat ad dominum meum Claudium; quia subveniebat egestati meae? » Et haec femina caeca erat, et dixit aliis mulieribus, quae illic aderant: « Eritne quod in exilium mittatur Victor, Hermani filius? ». Et dixerunt ei: « Non p. 212. *audivimus quemquam de eo sermonem habere; est autem filius quindecim annorum, et non est ei locutus ad hoc tempus de offerendo ture ». Et mulier caeca dixit ei: « Si autem inveniam qui me ducat ad dominum meum Claudium, priusquam deducant eum in Aegyptum, oscularer pedes eius, et darem ei munusculum ». Et tunc apprehenderunt eam manu et deduxerunt eam ad illum; et circum eum erat magna multitudo quae valedicebat ei; et illa *mulier* clamavit in media turba, dicens: « Quid fecisti ut in exilium mittant te, domine mi Claudi? » Et dum illa plorat, amplexa est eius pedes, volutans se facie sua super terram. Et exiit ex eius oculis aliquid simile araneo, et tunc vidit. Et mirati sunt omnes qui viderunt, qui illic aderant, et clamaverunt laudantes Deum et benedicentes eius magnificentiae.

Postea fecerunt conscendere sanctum Claudium in navem, et Victor amplectabatur eius collum, et osculabatur eius caput, et plorabat, dicens: « Ego vero saluto te, frater mi, ab imo corde meo ». Etiam sanctus Claudius plorabat propter eius fletum. Et postea sciscitatus est de marito sororis, et imperavit praeceptis omnis generis ne loquerentur cum sorore sua de exilio suo neque cuidam id manifestarent, ut illa ignoraret. Et postea adscenderunt in navem per mare; Victor autem plorabat et dicebat: « Ego vero valedico tibi, frater mi, et dilecte mi vere ». Claudius etiam plorabat in navi, et dixit ei: « Ego quoque valedico tibi, dilecte animae meae; memento foederis quod est inter me et te ». Neque desierunt se invicem intueri donec navis evanuit; et tunc Claudius sedit.

Et sanctus Victor permansit in littore maris per spatium diei, et eius famuli vi *adhibita* non reliquerunt eum, sed fecerunt ut conscenderet equum, et adduxerunt eum in domum suam; ille autem erat valde tristis; neque comedebat, neque bibebat, neque loquebatur omnino. Et cum eius mater sic vidisset eum, scidit vestes suas, et percussit faciem suam, et

dixit ei: « Quid accidit tibi, fili mi et dilecte mi, et lux oculorum meorum? » sed nihil illi respondit. Et illa coegit eius famulos dicere de eius rebus; qui certiorem eam fecerunt de eius rebus quae acciderant. Illa autem proiecit se ipsam coram eo, et ploravit, et locuta est cum eo. At ille nullum verbum respondere valuit propter aerumnam animae eius, quae ei acciderat ob tristitiam. Et dum illi ita se habent, *Hermanus advenit e palatio regis; et cum vidisset eos hac in re *versari*, dixit eis: « Quid accidit vobis? » Et narraverunt ei quomodo res se haberent; et Hermanus dixit ei: « Fili mi, tristis es propter Claudium? » At ille nullum verbum respondit. p. 213.

Et Hemanus dixit uxori suae, matri Victoris: « Si haec acciderunt Claudio cum sit unus e filiis regum, *et si*, quamvis nullum e primoribus regni plus quam illum honoraret, rex tamen non pepercit ei, sed eum in exilium misit, quomodo honorabit nos ipsos? Si autem amas filium tuum Victorem, dic ei ne commemoret nomen Iesu Christi ». Et illa dixit ei: « Recede a filio meo; ne adiicias tristitiam tristitiae ». Et mater eius misericordiam implorabat pro eo, et solabatur eum, et loquebatur cum eo tota hac nocte usque ad diluculum, nihil comedens neque bibens.

Et cum pervenisset sanctus Claudius ad urbem Alexandriam, milites tradiderunt eum praefecto, cui dederunt et litteras, quas secum habebant. Et cum praefectus adspexisset sanctum Claudium, miratus est propter magnitudinem gratiae quae in eius facie erat; et praefectus dixit: « Magnus es tu; at regis edictum etiam magnum est! » Et postea praecepit militibus qui eum adduxerant ducere eum ad praesidem *regionis* Sa'îd. Et milites conscenderunt navem, et progressi sunt ad austrum, donec pervenerunt ad urbem Antinoou, ut convenirent cum praeside Aegypti; sed non invenierunt illic praesidem, eo quod erat magna inimicitia inter illum et uxorem suam propter Coluthum huius fratrem; hunc enim occidit ille; et haec causa fuit cur desisteret commorari[1] in urbe Antinoou, neque poterat cum ea cohabitare ob iram eius; et sibi invicem odiosi erant. Milites autem interrogaverunt de preside; et narraverunt eis hunc profectum esse ad austrum in urbem Asiut, unde progressurus erat ad

[1] Litter. « per mare ».

Qasis. Illi igitur *milites* profecti sunt per fluvium usque ad urbem Asiut; et invenerunt praesidem, qui illic erat; et appellabatur nomine suo Arianus; et ei tradiderunt litteras regis. Quas cum legisset et intellexisset magnum ducem Claudium esse, virum fortem, dixit ei: « Domine mi Claudi, quid opus fuit tibi relinquere Antiochiam et huc venire? In illa enim urbe facta sunt pro te magna prodigia. Quomodo fuisti offensioni regi? Ego autem memor sum diei quo perveni Antiochiam, cum *rex constituit me in hac dignitate, et fecit magnum epulum regium; et tunc sumpsit te e medio aliorum et posuit te iuxta se. Et cum ille protendebat manum suam ad cibum in mensa *appositum*, tu etiam admovebas manum tuam post eum. Et ecce quod *olim* scripsit mihi, ut notum faceret te fuisse qui se obtulit morti pro eo, nam eripuisti eum a manu inimici eius barbari; ecce autem nunc litterae eius narrant, te ei restitisse et neglexisse eius edictum, et factum esse rebellem, neque eius deos adoravisse. Et nunc etiam oportet sane, cum ille dilexerit te et tu sis potens apud eum, ut audias me, et eius vestigia sequaris, et eius deos adores, ut duplices honores tuos apud eum. Sed nunc eamus, priusquam panem comedamus, quia pervenit tempus oportunum et constitutum; quiesces paullum; postea convertet se cor tuum, et intelleges bonum esse regis edictum et observandam omnem eius voluntatem, et quantum amat te. Postea regredieris in urbem tuam, et ad familiam tuam, et ad domum tuam, cum multis honoribus ». Et beatus dixit ei: « Scriptum est [1]: honores tui sint alii, et voluptates domus tuae, quae sunt cum multis honoribus ». Et praeses Arianus dixit ei: « Quid lucramur hac in re? Profecto cum ille rex factus est, non dedit mihi potestatem? Sed si res non ita se habet, haud oportet ut resistam, donec perficias res tuas (?) ». Et beatus Claudius dixit ei: « Perverse et reprobate, quis es tu, quis est Diocletianus, ut quaeram voluntatem vestram, et negotia vestra impura, et idola vestra quae mox corrumpentur? Destitistis enim colere Deum, qui fecit caelum et terram, et coluistis ligna et lapides sicut propheta dixit [2]: Dei gentium facti sunt ex auro et argento, opera manus hominum viventium; os habent et non loquun-

[1] Cf. DAN., v, 17 (Vulg.). — [2] *Ps.* CXIII, 4-8.

tur; oculos habent et non videbunt; aures habent et non audient; nasum habent et non olfacient; manum habent et non palpabunt; pedes habent et non ambulabunt; et non loquentur gutturibus suis, et non habent animam in suis oribus; ita accidet 5 omnibus qui fecerunt eos, et omnibus qui in eos credunt ». Et praeses dixit ei: « Abiice a te ista verba vana, Claudi, et adora deos regis ». Et *beatus Claudius dixit ei: « Si vero tu prudens esses, stulte, unum verbum tibi satis esset; quia ego non adoro vestra idola caeca et muta; sed adoro Dominum Deum verum 10 Iesum Christum, Filium Dei vivi; et eo quod eius stultitiam novi, non accepi regis verba hac de re, neque converti me ad eum; neque eius dona moverunt me; neque eius minae terruerunt me; quo autem modo accipiam ritus tuos et precationes tuas, aut convertam me ad verba tua? Festina igitur nunc, et sine ut 15 abeam ad Deum meum, qui est cum fide mea quae est fides recta ». p. 215.

Et cum Arianus audivisset eius verba, repletus est ira et eum strangulavit; et cognovit quod eius cor illaqueatum erat, dum erat in eo fides Iesu Christi; et in sua manu erat hasta, et cum illa transfixit latus eius sanctum. Et is perfecit marty- 20 rium suum undecimo die mensis s a n ē, in oppido cui nomen est Baha Asiut, in latere montis; et eius anima adscendit ad caelos cum honore et gloria.

Et Anastasius, eius famulus, collegit eius sanguinem in panno, et secum servavit eum, et sepelivit eius corpus sanctum in latere 25 eiusdem montis, quem supra memoravimus. Et eius famulus mansit ad custodiendum sepulchrum eius per anni spatium. Et Arianus occidit plures martyres propter nomen Iesu Christi, donec Dominus misericors dignatus est eum vocare ad certamen, quod est in terra. Profectus igitur est ad urbem Antiochiam, et con- 30 fessus est nomen Domini nostri Iesu Christi coram Diocletiano; et is mandavit ut in vincula coniicerent eum. Et cum sanctus Victor novisset vinctum esse praesidem qui occidit sanctum Claudium, ivit ad eum, et dixit ei: « Esne tu Arianus, praefectus provinciae Aegypti? » Et ille dixit ei: « Sane, sum, do- 35 mine mi ». Et sanctus Victor dixit ei: « Quid fecisti de fratre meo et dilecto meo Claudio? Et quomodo accidit eius requies? » Et ille narravit ei omnia quae facta sunt, et quod se paenitebat eius rei; et idcirco ploraverunt pro sancto Claudio amarum fletum. Postea Arianus respondit sancto Victori, et dixit

ei: « Ego etiam veni rursus huc, ut confitear nomen Iesu Christi coram rege; et reieci dignitatem meam et omnia quae acquisivi, ut martyr sim ». Et Victor non intermisit fletum et tristitiam ob sanctum Claudium, *donec ipse vocatus ad martyrium, expulsus est in Aegyptum, et illic consummavit martyrium suum.

p. 216.

Diocletianus autem rebellis firmus fuit ad occidendum credentes in Christum in omnibus locis, donec Deus eradicavit eum, et abstulit eum a sede eius regni, et pro eo posuit Constantinum regem iustum; et is eradicavit idola, et occlusit eorum templa; et inter eorum cultores fuit magna tristitia; et aperuit ecclesias christianas, et manifestavit corpora sanctorum martyrum, et laudatus est.

Haec sunt quae inveni de Claudio, quae scripsit philosophus Aristoteles, sicut ei narravit ipse Anastasius, famulus beati Claudii, Antiochenus, cum regressus esset ex Aegypto post decessum eius domini, exacto anno, et posuerunt librum in bibliotheca Cappadociae.

Absolutum est martyrium beati Claudii, in pace Domini, cui est gloria, et potestas, et maiestas per saecula saeculorum. Amen.

Et qui instituit vertere illud opibus suis e lingua arabica in ge'ez, fuit pater noster papas abba Salama, detector lucis in terra Aethiopiae, et sit ei recordatio per orationem Claudii et Victoris martyrum, et per orationem Mariae immaculatae, matris vitae, ut sortem obtineat cum electis papis, qui consummaverunt certamen suum in dignitate sua, in fide et constantia, per saecula saeculorum. Amen.

Tutela Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et tutela omnis verbi eorum, et tutela Dominae nostrae Mariae..... sine intermissione. Ita sit!

EFFIGIES CLAUDII.

I.

1 Ecce incipit salutatio effigiei tuae, p. 217.
dum Spiritus Sanctus adiuvat et adducit usque in eius finem,
5 Claudi, benedic regno Claudii [1] cotidie,
quia regnum eius cum regno tuo, et nomen eius cum nomi-
coniunctum est, priusquam sol esset. [ne tuo

2 Salutem memoriae nominis tui per os omnium fidelium,
quod dulcius est quam favus mellis et vinum;
10 Claudi, quasi sacrificium et odor sanctae Eucharistiae,
donec perficiam verba omnium salutationum effigiei tuae,
auxilium tuum, quasi tuba, sonet in aure cordis mei.

3 Salutem comae capitis tui, super quam stillavit
ros Spiritus Sancti sanctificatoris, sicut scripsit Salomon;
15 Claudi, martyr, qui egregie certasti,
o iuvenis, constantia certaminis tui semper
similis est flori argenti (*argento praestantissimo*) et auro puro.

4 Salutem capiti tuo, quod madefecit oleum deitatis,
quod ipsum coronavit corona gratiae et honoris, sicut scutum iu-
20 Claudi, qui ornatus es habitu puritatis et virginitatis, [stitiae;
quae caedit truncum et totam arborem (?) peccatorum meorum,
securis misericordiae, adcurrat quae est in manu tua.

5 Salutem faciei tuae, in qua lux sanctae Trinitatis
infusa est sicut in facie prophetae Moysis;
25 Claudi, sol, et rex noctis, Benase [2],
cum rex eris in campo deliciarum [3],
fac me servum et virum fidelem.

[1] Claudius, rex Aethiopiae, regnavit 1540-1559; fortasse haec effigies scripta est sub eodem rege. — [2] Luna nova (cfr. HENOCH, LXXVIII, 2; DILLMANN, HALÉVY, CHARLES, FLEMMING et MARTIN ad hunc locum). — [3] Id est, in Paradiso.

p. 218. 6 Salutem palpebris tuis geminis,
quae perpetuo inquirebant occulta verba sapientiae;
Claudi, valide, armate scuto crucis Golgothae,
ale me pane spiritali quaque die, quae lucescit,
ut loquar laudes gloriae tuae multis modis. 5

7 Salutem oculis tuis, qui non fuerunt invidi,
cum didrachmum ponderatum est mercenariis, quod erat denarius
Claudi, electe, imago Pauli urbis Romae, [mercedis iustae [1];
doce me consilium sapientiae et verba vitae, defensor,
ut ego sim vendemiator aromatum ex horto nominis tui. 10

8 Salutem auribus tuis, quae auscultaverunt petitionem
viri pauperis, quem cinxit murus afflictionis;
Claudi, veni, cum invocavero te studiose,
ut ducas me, et monstres mihi viam
viri sapientis, qui aedificavit domum suam super rupem. 15

9 Salutem genibus tuis, quae, sicut verbum Scripturae nun-
florebant odorem basiliscae [2] et rosae; [ciavit,
Claudi, martyr, sanguis tuus effusus est,
in genua mea, quae cum marcida multum sunt propter flam-
sparge purum nitorem tuum. [mam culpae, 20

[et certaminis
10 Salutem naribus tuis, quae unguentum martyrii iustitiae
multum olfaciebant, sicut amomum et malum;
Claudi, hilaris, et iuvenis regie, valide,
consolare me gaudio tuo de fletu magnae perditionis, 25
cum velum Verbi Patris extendetur, [hoc est] poena [3].

11 Salutem labiis tuis, quae dilexerunt loqui
verba simplicitatis columbae et sapientiae serpentis;
Claudi, martyr, qui mire certasti
cum proximis tuis, dum facis nuptias [4], 30
mica laudis tui satia ventrem meum famelicum.

[1] Cfr. MATTH., XX, 2. — [2] *Cant.*, V, 13. — [3] Cfr. MATTH., XX. — [4] In paradiso.

p. 219.

12 Salutem ori tuo, quod reprehendit idola,
quae non loquuntur, dum eis os est;
Claudi, margarita es *tu* qui tamen non tegeris concha [1],
cum terram tenebrosam pertransivit rotatio tua fulgida,
5 lux vitae restavit in.....

[quod est sicut aedificium,
13 Salutem dentibus tuis, qui sunt veluti porta corporis tui,
qui fuerunt sera iustitiae Verbi quominus loqueris omnem ini-
[quitatem;
10 Claudi, martyr et abundans certaminis plus quam arena,
esto mihi arcus victoriae et sagittae auxilii,
a lingua quae occidit, cuius vox est timenda.

[rant,
14 Salutem linguae tuae postquam, quae a mente germinave-
15 gignebat verbum exultationis et sonum laetificantem cor;
Claudi, martyr, tu perfecisti curriculum vitae;
eorum qui caperant contra me faciem cum visceribus,
in collo suspende molam asinariam.

15 Salutem voci tuae, cuius suavitas est mirabilis,
20 qui melior est quam sonus organi et cytharae;
Claudi, concionator martyrum veritatis, Mercuri,
dum mirantur tormenta, quae passus es,
exercitus [caelestis] facit festum nominis tui in caelo.

16 Salutem respirationi tuae, quae spirabat odorem,
25 fenestra cordis tui, uncta sanguine deitatis sicut postis;
Claudi, valide, cum transfixi sunt hastis poenae,
propter virtutem tuam et fortitudinem tuam, victor iuvenis,
fines Cossaeorum, meridie direpti sint ut thesauri.

17 Salutem gutturi tuo, cuius memoria est dulcior
30 quam memoria vini probati;
Claudi, perfectus artifex sapientiae et consilii,
cum tu esses filius regis et stirps nobilis generis,
quomodo accidit tibi vilis aspernatio?

[1] ሰደፍ = صدف.

p. 220. 18 Salutem collo tuo quod, simili torqui,
desuper ornatum est nobili monili margaritae;
Claudi, dilecte corde omnium generationum,
ostende mihi viam iustitiae, dum praevenis et sequi facis,
cum plantaverint rete mortis coram me. 5

19 Salutem humeris tuis super quos insedit
iugum Iesu boni et leve onus eius;
Claudi, prospice alimentis meis necessariis cotidie,
nam segnis, dum complicat suas manus,
bibit suum sanguinem et edit suam carnem [1]. 10

20 Salutem dorso tuo, quod dilexit se convertere
a delubro idolorum aureorum, quae manus aurificis cudit;
Claudi, misse ad opus Christi perficiendum,
ut servus tuus sim, dum non est mihi separatio *semper*;
fac me pretium sanguinis martyrii tui. 15

21 Salutem pectori tuo, quod fuit receptaculum intelligentiae,
et induit rationale [2] sicut operimentum consilii;
Claudi, unguentum, quod suavius est quam tus,
libera me ab ore inimici, qui stridet dentes,
dum excitat magnum litigium contra me. 20

22 Salutem sinui tuo, accubito sapientiae electae,
cuius leges sunt Evangelium, et institutiones sunt Lex (Moysis);
Claudi, semotus ab amore opum,
per aream tuam et per hortum tuum feracem
duc me, ut intrem in cor tuum probatum. 25

23 Salutem manibus tuis, quae delerunt hostes,
cum rex gentilis Cossaeorum fecit rebellionem;
Claudi, semper columen et dux myriadum,
cum occiderunt te una cum Victore,
gentes Antiochiae et Aegypti amare ploraverunt. 30

[1] Cfr. *Eccles.*, IV, 5. — [2] *Exod.*, XXXVI, 15.

24 Salutem brachiis tuis, quae beneplacito Christi principis p. 221.
adscenderunt a stipite corporis instar pulchrorum ramorum;
Claudi, flos et bacca rosae littoris,
melior est mihi, servo tuo, lex oris tui, quae est iustitia,
5 quam mille [nummi] argenti et auri rutili.

25 Salutem, salutem utrique ulnae tuae,
quae die praelii firmae fuerunt instar scuti aenei fortis;
Claudi, hilaris et gigas strenue,
sit mihi, viro peccatori, aqua baptismatis
10 lacrima quae fluxit ex oculo fratris tui Victoris.

26 Salutem cubito tuo, quod, ut iussit Christus,
metitum est ambitus templi Hierosolymorum;
Claudi, rex, die iudicii asperi
da mihi navem felicitatis, quam non exagitet ventus,
15 ut tecum habitem in tranquillitate et portu.

27 Salutem palmis tuis, quae semper fuerunt extensae,
ad danda multa dona et ad largiendam abundantem gratiam;
Claudi, qui es angelus et aequalis myriadum vigilum [1],
appareas coram facie mea, dum volas alis
20 quasi avis, cum Michael sonabit tubam clamoris.

28 Salutem digitis tuis, quorum numerus est decem,
qui ornati sunt annulis pacis et amoris;
Claudi, valide iudex magnitudinis et honoris,
quia submersit me fluvius peccati et culpae,
25 adiuva me absorbendo eum *fluvium quasi sis* terra *quae*
[*absorbit aquas*,

29 Salutem unguibus manus tuae, qui positi sunt in summo,
in extremo decem digitum, dum lucent sicut crystallum;
Claudi, basis et ferculum praeceptorum, quasi tabulae [Moysis],
30 dum confitentur salutem tuam potentem,
Moyses et Aron scripserunt Kufālē.

[1] Vigiles, ἐγρήγοροι (cfr. HENOCH, I, 5).

p. 222. **30** Salutem lateri tuo, quod passum est ictum
per aciem hastae acutae, donec perfecisti mortem;
Claudi, pure, qui maculam non cognoscis,
adspiciens adversarios nostros, ut confundantur subito,
erga nos fac bona miracula. 5

31 Salutem ventri tuo, qui recusavit cibum idolorum,
cum fames poenae dolorem faciebat mensam; [sionem,
cum exercitus Armeniorum et Cossaeorum excitaverunt incur-
Claudi, tunc firmitas virtutis tuae arsit sicut ignis,
sicut titiones fumaverunt, et facti sunt cinis. 10

32 Salutem cordi tuo, quod simile est Patri,
qui genuit Intelligentiam scientiae et Consilium sapientiae;
Claudi, obumbra alis tuis flammeis
super caput meum ab ardore gravis culpae,
quia tu es consilii angelus, cuius nomen est Cherub. 15

33 Salutem renibus tuis, qui quasi psaltae locuti sunt,
dum Altissimus explorat eos splendente lucerna quae est sapien-
Claudi, sicut Moyses dux populi Dei, [tiae eius;
propter te campi satiati sunt rore benedictionis,
et mandragorae dederunt odorem. 20

34 Salutem menti tuae, quae ex radice cordis ascendit,
ut cogitaret una clementiam pauperum et iudicium egenorum [1];
Claudi, ex collo animae meae excute vinculum,
nam super me imposuit saevum iugum suae servitutis
saeva bestia doloris, quae lambit vestimentum vile (?). 25

35 Salutem visceribus tuis coram facie omnium castrorum,
quae arserunt igne fidei, sicut cinnamomum;
Claudi, flos et uva laetae vitis,
cum vendemiaverunt te lictores poenae et iudicii,
angeli caeli effuderunt lacrymas ex oculis. 30

[*amant per.*),
p. 223. **36** Salutem visceribus tuis, in quibus sedent peregrini (*quae*
quae similes sunt ebori tanquam tabulae [2] in ventre tuo;
Claudi, qui ornatus es candida corona gratiae,
ne neglexeris visitare me cum Georgio ex Lydda, 35
si manus adversarii et hostis incursaverit contra animam meam.

[1] *Psalm.* XL, 2. — [2] Cfr. *Cant.*, V. 12.

37 Salutem umbilico tuo, instar pelvis caelati,
et imaginis sigilli sculpti, quod factum est ex auro;
Claudi, Ebla [1], et lux alti caeli,
extinguantur coram facie mea splendore tuo, quasi fulgure,
5 meridiani daemones [2] tenebrarum et saeva sors.

38 Salutem lumbis tuis, qui dum se accingunt victoria,
ingressi sunt in nuptias Filii sponsi cum pulchritudine lucis [3];
Claudi, qui occisus es foras terram progeniei tuae,
cum iustitia tua et virtus tua impleverunt ambitum mundi,
10 laetitia abscondita est in oculo mortis et Siol.

39 Salutem femoribus tuis, quae similia fuerunt fulcris
ad portandam arcam corporis, dum custodiunt mandata;
Claudi, uncte suavi unguento missae,
cum hasta doloris transfigeret corpus tuum,
15 lacrimae angelorum et hominum fluerunt sicut aqua.

40 Salutem genibus tuis, quae noluerunt se flectere
coram statua auri, quam manus aurificis fudit;
Claudi, martyr, qui colebas Deum caeli,
benedic mihi, devoto tuo, tempore puri muneris,
20 sicut Iacobus benedixit filio suo Iudae.

41 Salutem pedibus tuis, qui, sicut cursus avis et sagittae,
volabant per aream martyrii, et festinabant currere;
Claudi, qui laudatus es in portis,
cum angeli litis et invidiae accesserint ad me,
25 facies tua sit servatrix faciei meae.

42 Salutem plantis pedum tuorum quarum osculatio aperuit p. 224.
oculos cuiusdam feminae, qui caeci erant;
Claudi, da veniam meae culpae;
sed si postulaveris iustis clementiam,
30 oratio tua utilis non erit miranda.

[1] Ebla designat lunam in eius periodo decrescentiae (cfr. HENOCH, LXXVIII, 2; DILLMANN, HALÉVY, CHARLES, FLEMMING et MARTIN ad hunc locum). — [2] *Ps.* XC, 6. — [3] MATTH., XXIV.

43 Salutem calcibus tuis ex argento puro,
supra quas plantatae sunt columnae duo naturae (*crura*);
Claudi, iudex et germen regni electi,
de te dictum est ab ore vatis Hoseae:
Dies Iezraelis magnus est [1]. 5

44 Salutem digitis pedum tuorum, qui similes aristis et spicis
adscenderunt de terra plantae [pedum];
Claudi, martyr praedicator sancti Evangelii,
ros clementiae tuae signet me, qui potest germinare facere oleam
ex amaro oleastro et planta sicca. 10

45 Salutem unguibus pedum tuorum, qui oriuntur ab extremis [digitis,
aequales candori nivis et denti [elephanti];
Claudi qui laudaris in medio multorum concionum,
beatum praedicant te omnes generationes,
cum inveniant gratiam per auxilium tuum. 15

46 Salutem staturae tuae, quae similis est cedro,
qui induit partem fecundam terrae et partem amoenam aëris;
Claudi, sol, qui vincis stellas lucidas,
is, cuius mens non capta erit fune amoris tui,
excommunicatus sit ore Cefae (Petri) et Sauli (Pauli). 20

47 Salutem vultui tuo, postquam occisus, *ictus* est hasta,
quae similis erat imagini auri et gemmae splendentis crystalli;
Claudi, nobilis, rogando te rogo,
cum dissipatum erit cadaver corporis mei et factum erit pulvis,
imple ipsum laude resurrectionis, et da ei virtutem. 25

p. 225. 48 Salutem exitui animae tuae hoc die
quo sancti caeli et terrae laetantur;
Claudi, angelus custos vitae meae esto ad mortem:
adiuro te, domine, per hanc magnitudinem tuam,
cum anima mea exibit, ne spernas eam. 30

[1] Hos., I, 11.

49 Salutem cadaveri corporis tui, quod adeo splendebat,
ut angelos id visitantes desiderio affecerit pulchritudo eius visus;
Claudi, benedicte, pars hereditatis Dei,
converte me misericordia tua ex hac via culpae,
5 quae saepta est spinis morbi et mortis.

[involvit,
50 Salutem involutioni linteo corporis tui, quod manus fidelium
in puro vestimento missae, postquam acies hastae id transfixerat;
Claudi, qui laudatus es, lux iustitiae et obedientiae,
10 protege misericordia tua, et consolare me consolatione,
a fletu calamitatis submergente et magna tristitia.

51 Salutem sepulcro tuo, ad latus excelsi montis,
postquam mortem pertulisti per acutam hastam doloris;
Claudi, strenue, et iuvenis regie, vir fortis,
15 Antiochia deplorat te clamans et dicens:
Quomodo sub modio absconditus est splendor? [1]

52 Ecce manifesta est finis effigiei tuae,
cuius odor currere facit multum ut odor amomi [2];
Claudi, irrora caput Claudii instar nivis,
20 mane benedictione et hora vesperae salutatione,
quae addit diem et extendit terminum vitae.

53 Agrum effigiei tuae, domine, quaerens colere,
in hunc te confert pes mentis meae tempore vesperae et primae
Claudi, considera verba mea quae sunt labor, [lucis;
25 ut semper dones mihi retributionem spei iustitiae,
cum operariis qui portaverunt pondus diei [3].

II.

1 Salutem tibi, qui fuisti martyr victor inter mille electos, p. 226.
fugator milium et persecutor myriadis,
30 portator gladii Gabrielis.

[1] MATTH., V, 15. — [2] Cfr. *Cant*, I, 3. — [3] Cfr. MATTH., XX.

[populi Cossaeorum,
2 Salutem: ipse gladius tuus inebriavit se potando sanguinem
et pes equi tui calcavit eius caput truncatum,
sicut narratur in historia tua.

3 Salutem: delevisti hostes qui se congregaverant a regione 5
in regione, cui nomen est fluvius Cabor, [Armeniae,
Claudi, suavis memoriae.

4 Salutem: regnum terrae sprevisti, quod accepit pastor ca-
ut regnum caelorum adipiscereris paupertate, [prarum [1],
Claudi, labia paeoniae. 10

5 Salutem sorori tuae; spem meam combussit flamma tristitiae,
cum fuit peregrinatio tua ex Antiochia,
Claudi, gloriatio Romae.

6 Salutem: sicut Deus tuus bonus et iustus, in quo non est
coronatio tua acie hasta fuit, [iniquitas, 15
Claudi, perfosse in latere.

7 Salutem: quia ego cupio videre nitidam pulchritudinem
cum fratre tuo Victore, domine mi; [faciei tuae
Claudi, veni in hora mortis meae,
ut dicas salutationem tuam animae meae peccatrici.

[1] Diocletianus.

VI.

GADLA FIQṬOR

SEU

MARTYRIUM SANCTI VICTORIS

Aethiopicae versionis Martyrii sancti Victoris notum est tantum apographon unum, quod continetur manuscripto Abbadiano n° 179, e quo eruimus martyrium S. Claudii. Exaratus esse saeculo XVII codex videtur.

Martyrium scriptum est in Aegypto, coptice; primigenii textus supersunt aliquot fragmenta, alia iam edita, alia inedita.

Praeter Martyrium, de sancto Victore habemus quoque alia scripta aethiopice, scilicet: Homiliam a Cyriaco, episcopo Behnasa (Mus. Brit., codd. Orient. 729, 690 et 696); et Homiliam a Demetrio, archiepiscopo Antiochiae, habitam (Mus. Brit., cod. Orient. 729): utramque ex arabico sermone conversam.

Acta in codicibus graecis inscripta: Ἄθλησις τῶν ἁγίων μαρτύρων Βίκτορος καὶ Στεφανίδος, et latine edita a MOMBRITIO, *De SS. Victore milite et Corona martyribus in Aegypto*, diversa sunt ab eis quae nobis servavit codex aethiopicus.

Post Martyrium addita sunt Effigies Victoris, strophis constans tribus et quinquaginta, et aliud breve carmen in laudem huius sancti. Horum carminum textum dedimus ad fidem codicis Abbadiani n° 170.

p. 229. Certamen et martyrium sancti et beati Victoris, ab urbe Antiochia, qui coronatus est propter Christum, die septimo et vicesimo mensis m i y a z y a ; eius oratio et benedictio sint nobiscum. Amen.

Diebus Diocletiani facta sunt prodigia et mirabilia in eorum gratiam, qui credebant in Dominum nostrum Iesum Christum. Erat autem unus ex iis qui credebant in Dominum nostrum, cui nomen erat Victor, vir e progenie regum, et timens Deum. Et Deus dedit ei sapientiam, et prudentiam, et scientiam; et fuit eruditus in omnibus Libris sanctis et in omnibus rebus quae attinent ad Christum. Et ille faciebat multa bona in ecclesias christianas, et in egenos, et in pauperes; et erat amator ieiunii et orationis. Et nomen eius matris erat Martha, Basilidis filia; Basilides autem erat filius regis Orientis [1], et pervenit in provinciam Antiochiae, et illic habitavit, et illic mortuus est.

Et postquam Basilides mortuus erat, rex in matrimonium dedit Martham, Basilidis filiam, magistratui Hermano [2], qui quartus erat ex iis qui sedent ad dexteram regis [3]; sed in illo non erat misericordia. Martha autem, uxor eius, erat timens Deum et misericors, et dabat eleemosynas omnibus pauperibus, inscio tamen Hermano eius marito. Et Martha cupiebat filios obtinere; et ivit in ecclesiam christianam, ut accederet ad communionem; et ivit quo erat imago sanctae Mariae Deiparae; et rogavit illam, dicens: « Maria, Domina mea, da mihi filios, qui Christum ament, et in quibus sit misericordia; si autem futuri sint qualis est eorum pater, in quo non est misericordia et qui Christum non timet, noli dare mihi filios, sed occlude uterum meum ». Et ipsa imago Mariae inclinavit se, et vultum demisit, quasi diceret: « Ita erit [4] ».

[1] Rex Orientis designat fortasse regem Indiae; sed hic videtur dici de rege cuiusdam regionis longinquae et potissimum valde divite. — [2] ሀርማኖስ, ϩⲣⲱⲙⲁⲛⲟⲥ (BOURIANT, *Eloges*, p. 150), ⲣⲱⲙⲁⲛⲟⲥ (HYVERNAT, *Les Actes des Martyrs de l'Egypte*, etc., p. 12 et 40), Germanus (?) (DILLMANN, *Lex. ling. Aeth*, c. 1409). — [3] Hermanus (Romanus) erat magnus dux (BOURIANT, *Eloges*, p. 150). — [4] Statua Amonis, cum interrogaretur ab antiquis regibus Aegypti de deliberandis publicis negotiis, con-

Et Martha concepit, et peperit filium die quinto et decimo mensis yakatit; et illa appellavit eum nomine Victorem; et vox Victor significat: « Deus amovit tristitiam meam [1] ». Et servi Marthae adiverunt Hermanum, et ei nunciaverunt Mar-
p. 230 tham peperisse filium. *Et cum rex Diocletianus vidisset servos 5 locutos esse cum Hermano submissa voce, dixit Hermano: « Quid tibi nunciaverunt submissa voce servi Marthae? » Et Hermanus dixit regi: « Profecto mihi nunciaverunt illam peperisse filium ». Tunc rex laetus fuit, et obtulit Marthae multum auri et argenti, et vestes pretiosas. Et quotannis faciebant 10 festum in die eius natali; et Martha faciebat festum, cum daret eleemosynas pauperibus et egenis; et Hermanus dabat epulas magistratibus et divitibus. Et angelus Dei deduxit e caelo infanti Victori auream vestem.

Rex autem, cum comederet et biberet cum praefectis suis, 15 die festo quo infans natus erat, dixit Hermano: « Fac ut ad nos filius tuus adducatur, ut eum videamus, et merito laetemur ». Et Hermanus misit servos, ut adducerent infantem. Martha autem, eius mater, vestivit eum veste aurea, quam angelus de caelo deduxerat; et misit eum, et portaverunt eum 20 ad regem. Et cum rex eum vidisset, mirum esse reputavit, et miratus est pulchritudinem oris infantis, et venustatem eius faciei, et lucem Christi quae erat super eum. Et eum osculatus est, et dedit ei multas divitias; et misit eum ad reginam uxorem suam, ut eum videret. Et cum illa quoque vidisset pul- 25 chritudinem eius, et venustatem, et lucem quae super eum erat, valde mirata est; potissimum autem mirata est eius vestem; sed moesta fuit quod ipsa non habebat filios. Et postea deduxerunt infantem, et tradiderunt eum eius matri. Et rex vidit reginam moestam esse; et dixit ei: « Cur tristis es, 30 regina? » Et illa dixit ei: « Tristis sum, quia vidi vestem filii Marthae; tu autem, quamvis tanta sit magnitudo regni tui, similem vestem mihi conficiendam non curavisti! » Et rex

sensum significabat motu capitis (MASPERO, *Histoire ancienne des peuples de l'Orient*; Paris, 1886, p. 286). — [1] In Encomio sancti Victoris a Theodosio, archiepiscopo Hierosolymarum, dicitur Victorem significare « qui vincit » (BOURIANT, *Eloges*, p. 247); sed auctor versionis aethiopicae Martyrii videtur ignoravisse veram huius nominis significationem.

dixit ei: « Ego ut similis vestis tibi conficiatur mandabo ». Et rex vocavit Hermanum, eique dixit: « Ubi tibi comparasti illam vestem? Num tu curavisti ut ea conficeretur? » Et Hermanus dixit regi Diocletiano: « Ego vero nescio, princeps: nemo 5 praeter Martham scit unde venerit illa vestis ».

Martha autem paravit se ad baptizandum Victorem, filium suum, et ad adducendum eum ad religionem christianam. Et Martha misit nuncium ad Hermanum, maritum suum, cum ille apud regem esset, qui diceret: « Ecce ego eo in ecclesiam 10 christianam *ut baptizetur filius meus, et eum christianum faciam ». Et rex dixit Hermano: « Quid tibi dicendum misit Martha? » Et Hermanus narravit regi, eam profecturam esse in ecclesiam christianam ad baptizandum eius filium ». Et rex Diocletianus dixit reginae uxori suae: « I ergo tu quoque cum 15 illa ad honorandam eam ». Et ambae ierunt, et introiverunt in ecclesiam christianam. Et Theodorus archiepiscopus sumpsit et baptizavit infantem; et Theodorus archiepiscopus sumpsit infantem iterum, et imposuit manum suam in caput eius, et benedixit ei dicens: « Iesus Christus, qui imposuit manum suam 20 in capita puerorum et benedixit eis, benedicat tibi, fili mi, Victor ». Et populus quoque dixit: « Amen! » Et iterum benedixit ei, et dixit ei: « Deus benedicat tibi, et faciat te semen benedictum, fili mi, Victor ». Et populus quoque dixit: « Amen! » Et rursum benedixit ei, et dixit ei: « Sicut Deus benedixit 25 filiis Abrahami, et Isaaci, et Iacobi, sic benedicat tibi, fili mi, Victor ». Et populus quoque dixit: « Amen! »

Et cum regina audivisset hanc benedictionem et laudem, quae super hunc infantem recitatae sunt, invidia capta est, et indignatione iraque repleta est, quod Deus ei non dedisset 30 filios. Et cum Martha tradidisset archiepiscopo auream vestem, quam angelus e caelo adduxerat, ut vestiret infantem, regina cucurrit, et protendit manum suam ad diripiendam et capiendam hanc vestem e manu Marthae; at angelus sumpsit et sursum detulit vestem. Populus autem, qui ibi aderat, derisit 35 reginam, et invidia aucta est in ea; quae sumpsit infantem et proiecit eum in pavimentum tesselatum ecclesiae christianae ad eum interficiendum. Et regina exiit ex ecclesia christiana, et abiit. Et populo visum est infantem mortuum esse. Et Martha sumpsit infantem, filium suum, et admovit eum ad ima-

p. 231.

ginem Mariae; et dixit: « Domina mea, sancta Maria, tu mihi dedisti filium; et ecce eum admovi ad te; suscipe eum in votum ». Et statim rediit anima infantis; qui et aperuit oculos suos; et tunc Martha, eius mater, laetata est, et laetatus est omnis populus; et gratias Deo egerunt. Et Martha quoque 5 sumpsit filium suum, et accepit eucharistiam cum filio suo, et reversa est domum.

p. 232. Et regina ingressa est in palatium regis, moesta *et iracunda. Et rex Diocletianus dixit reginae, uxori suae: « Cur moesta es et iracunda? » Et regina dixit ei: « Quomodo non 10 sim moesta et iracunda, si tu, quamvis rex sis, non potuisti mihi dare vestem similem ei quam filius Marthae habet? » Et rex dixit ei: « Ne moesta sis, regina; ego dicam Hermano: Da mihi illam vestem; et ego dabo eam tibi ». Et regina dixit ei: « Ne putaveris, rex, te accepturum esse ab eo 15 eam vestem; quia ego vidi oculis meis quomodo ea sursum delata est in caelum ». Et paucos post dies Martha repperit eamdem vestem, quae erat iuxta lectum filii sui; et e somno excitavit filium suum, et sumpsit vestem absconditque; et ita disposuit eam, ut regina nihil sciret de hac veste. Et cum 20 infans cresceret, crescebat etiam eodem modo vestis pro varia *corporis* eius forma.

Et cum ipse puer pervenisset ad aetatem disciplinae, adduxerunt eum ad magistrum qui doceret eum; et puer didicit omnes libros Prophetarum et Apostolorum, et eorum inter- 25 pretationem, et omnem scientiam et institutionem, quamvis esset parvulus. Et Victor fuit amans Dei et amans ecclesiae christianae, et studiosus ieiunii et orationis; et faciebat multa bona pauperibus et egenis; et amabant eum rex, et regina, et omnis populus. Hermanus autem, eius pater, tristis erat, 30 quia filius recusavit uxorem ducere.

Et hisce diebus rex Diocletianus abnegavit Christum, et apostata factus est; et misit chartam per totam terram regni sui dicentem: « Claudite ecclesias christianas, et aedificate templa idolorum, et adorate ea; si forte quis non adora- 35 verit ea, diripietur domus eius, et castigabitur poena suae vitae, et abscindetur eius collum ». Et rex Diocletianus iussit duci Apollinem circum omnia moenia urbis Antiochiae. Victor autem, stercore equorum sumpto, implevit cophinum, et adscen-

dit in tectum domus, quae erat iuxta moenia urbis, et id effudit in caput Apollinis. Tunc autem timuit Martha, eius mater, ne regi referrent quod egerat filius suus; sed ei dixerunt: « Ne timueris, Martha, ne nos regi hoc referamus ». Et Martha 5 cepit centum et quadraginta libras [1] auri, quas dedit ianitoribus et iis qui Apollinem circumducebant; non autem propter amorem erga eos dedit aurum Martha, *sed propter timorem. p. 233.

Ex eo tempore quo Hermanus idola adoravit, tristes fuerunt Martha, eius uxor, et Victor, eius filius; et cum eo mensam 10 communem non habuerunt. Et ex eo tempore, quo rex Diocletianus adoravit deos, etiam Victor non ivit cum eo, neque intravit in palatium regis; et omnes qui in Christum credebant, rex Diocletianus iussit suspendi; corpora autem eorum qui propter Christum occisi erant, progrediens Victor cum servis 15 suis, sepeliebat in indumentis pretiosis. Et Victorem amabat quicumque eum videbat; et timebant eum omnes, quia filius magni ducis erat; et idcirco non rettulerunt regi eum sepelire occisos. Et Diocletianus dixit Hermano: « Quid accidit Victori, filio tuo, quem non video? » Et Hermanus dixit ei: 20 « Ecce mitto nuncium ad eum, et veniet ». Et Hermanus misit nuncium ad Martham, ut ad se mitteret Victorem, filium suum; illa autem dixit nuncio: « Ire non valet, quia aeger est ». At illa ne haec verba audiret filius cavit; si enim audivisset Victor, patrem suum nuncium misisse ad eum, festinanter 25 progressus esset, quia cupiebat mori propter Christum. Et paucos post dies, Diocletianus nuncios misit ad Martham, ut mitteret Victorem, suum filium, et is ad eum veniret; sed Martha dedit munus quinque libras auri regis nunciis, qui regi dicerent: « Victor aeger est, et ad te venire non valet ». Et 30 nuncii abierunt, et ita rettulerunt regi. Victor autem nescivit has omnes simulationes, quas mater eius finxerat. Et paucos post dies rex Diocletianus dixit Hermano: « Cur Victor discessit a nobis? Sed nunc cupio eum videre ». Et statim Hermanus, eius pater, ivit et adduxit Victorem ad regem. Et rex dixit 35 Victori: « Quid tibi accidit, fili mi, quod non venisti ad me tot diebus? » Et Victor dixit Diocletiano: « Cum amares

[1] ለጥር, λίτρα, parvus nummus argenteus, pretio duo oboli, pondere autem 1 gr. 154.

Christum, ego te amavi, et veni ad te; et ex quo Christum odio habuisti, ego odi te, et etiam odi domum tuam ». Et Hermanus iratus est adversus Victorem, filium suum; et Diocletianus dixit ei: « Remitte eum, quia puer est, et non habet intellectum ». Martha autem timuit filio suo, et misit multos nuncios, qui eam certiorem facerent de omnibus quae a rege facta sunt in eius filium; *et famuli redierunt, et omnia ei nunciaverunt; et quievit cor Marthae. Et Hermanus rediit domum suam, et dixit Marthae, uxori suae: « Si autem amas filium tuum, admone eum ne amplius nominet Christi nomen, neque eum memoret ore suo ».

p. 234.

Et cum esset decimus quintus annus ex quo Victor natus erat [1], Diocletianus dixit Hermano: « I, et adduc Victorem, filium tuum, ut adoret deos nobiscum; et constituam eum in magno officio, et dabo ei multas divitias ». Et ivit Hermanus et adduxit Victorem, filium suum, et introduxit eum in palatium regis; et Victor pervenit in palatium regis, et dixit ei: « Ave! » sed eum non osculatus est; rex autem osculatus est caput Victoris, et misit eum quo erant regina et eius soror, quae eum persuaderent. Et regina dixit ei: « Victor, si amas Christum, absconde in corde tuo eius amorem; progredere et adora deos; et rex magnificabit te tibique dabit munus et multas divitias ». Et Victor dixit reginae: « Vae vobis et omnibus qui adorant deos! quia ducent vos in gehennam, ubi est fletus et stridor dentium ». Et rex vocavit eum, et dixit ei: « Dabo tibi aurum et argentum, onus quadraginta mulorum, et multas vestes pretiosas, et constituam te in magna urbe Alexandria; at nobiscum adora deos ». Et Victor dixit ei: « Quod est tuum, nolo aurum, neque argentum, neque munera; et deos non adoro; ego autem adoro Christum, qui unus est Deus ». Et Hermanus, eius pater, dixit ei: « Victor, fili mi, nonne rex amavit te, et osculatus est caput tuum, et duxit te ad reginam et eius sororem propter amorem, et voluit te magnum facere munere et divitiis? » Et Victor dixit Hermano, patri suo: « Deus humiliat superbos, et exaltat submissos; ego autem nolo magnificentiam et honorem, quae sint ab hoc apostata. Cum

[1] Edictum Diocletiani praecipiebat ut iuvenes, exacto suae aetatis anno quintodecimo, et deos adorarent et eis tus offerrent.

autem rex oscularetur caput meum, existimavi magnum draconem mihi osculum dare; et cum adduxisset me ad reginam et eius sororem, existimavi me esse cum bestiis ». Statim autem surrexit Hermanus, eius pater, et traxit Victorem capillis eius capitis, et deiecit eum in pavimentum palatii regis, et oppressit eius caput, ita ut sanguis exiret et effuderetur in pavimentum. Et Hermanus dixit regi: « Ab hac die is non est amplius filius meus; quidquid volueris fac ei ». Et rex dixit ei: *« Castigatio tua satis est ei ». Et rex dixit servis suis: « Evellite stratum [1] quo sanguis eius effusus est; et eiicite illud foras, et aliud adducite et eius loco expandite ». Et Victor dixit: « Ne moestum sis, quod evulsum es e palatio huius regis apostatae; quia eris in palatio Dei ad summum altaris, et portabis corpus et sanguinem Christi, quae sunt in salutem omnibus qui credunt in Christum ». Et cum Hermanus, eius pater, haec audivisset, freno arrepto iniecit in os Victoris; et Hermanus dixit regi Diocletiano: « Scribe chartam, et mitte Alexandriam hunc iuvenem ad Armenium, magnum praefectum [2], qui faciat ut is illic adoret deos; et si eos adoraverit, qui magnificet, et exaltet, et laetificet eum multis divitiis; si vero recusaverit, qui puniat eum variis tormentis, et interficiat eum morte mala ». Et rex Diocletianus scripsit chartam ad Armenium, magnum praefectum, dicens: « Mitto tibi Victorem, Hermani filium; cura ut ille deos adoret; et si audiverit te, et adoraverit eos, honora eum secundum magnitudinem regni mei, et laetifica eum omnibus gaudiis, et remitte eum ad me, ut ego etiam laeter; si autem recusaverit eos adorare, affiige eum multis tormentis, et interfice eum morte mala ». Et rex misit Victorem et hanc chartam cum quattuor militibus; et iussit eos navi Alexandriam petere.

Et Martha, eius mater, audivit regem misisse hos nuncios; et Martha scripsit chartam ad Armenium, dicens: « Noli nocere filio meo, nihil enim mali fecit in regem; sed eius pater iratus est ei; et nunc recordare Victorem filium meum locutum esse ad regem cum rex tibi officium deferret; tuque filio meo constituisti donare trecentas libras auri; et nunc tibi re-

[1] ጸፍጸፍ significat « pavimentum e lapidibus stratum, tesselatum » (DILL., *Lex.*, c. 1351); sed hoc loco dici videtur de tapete. — [2] ሄርሜኒዮስ, ϩⲁⲣⲙⲉⲛⲓⲟⲥ (BOURIANT, *Elog.*, p. 185). Armenius erat Comes Alexandriae.

mitto id aurum, ne noceas Victori, filio meo ». Et illa misit hanc chartam per quemdam e servis filii sui, cui nomen erat Horion; et adscenderunt simul in navem, et in eo erat navis ut proficisceretur; et angelus Dei descendit e caelo, qui cohibuit navem ne progrederetur. Et Victor moestus fuit, et surrexit 5 ad orandum Deum ut navis proficisceretur. Et audivit vocem p. 236. *angeli qui dicebat: « Victor, ecce charta matris tuae est apud Horion qui eam fert ad praefectum Armenium, ne accipias coronam quam cupis ». Victor autem ab Horione, servo suo, accepit chartam quam miserat Martha, mater sua, et eam resignavit 10 et legit. Et dixit quattuor militibus, qui eum deducebant: « Sinite me redire ut loquar cum matre mea, et dein proficiscemur ». Illi autem reduxerunt ut loqueretur cum matre sua. Et cum illum educerent e navi, frenum iniecerunt eius ori ob timorem regis; et adduxerunt eum ad matrem, dum 15 eius os frenatum est. Et ille dixit eis: « Solvite me semel ab hoc freno, ut loquar cum matre mea ». Et cum eius mater vidisset eum, flevit et dixit: « Estne filius meus equus, ut ei frenum iniciatis? » Et mox amoverunt ab eo frenum. Et sumpsit chartam, et legit eam coram matre sua, et dixit ei: 20 « Non bene egisti, mater mea, erga me; cur cogitavisti me cohibere a corona quam ego cupio et amo? Cur imitata es eos qui custodiebant sepulcrum Domini nostri Iesu Christi, lictores nempe, quibus dederunt mercedem eorum, multum auri, ut dicerent: Venerunt eius discipuli nocte, et eum furati 25 sunt, nobis dormientibus? [1] Et id illi dixerunt, ne homines crederent in eum *Christum;* et tu etiam illos imitata es, et voluisti arcere me a corona regni caelorum. Et nunc etiam, mater mea, excipe mihi hospites, ut excipiant quoque me, quo peregrinabor ». Et postquam haec verba locutus est ad matrem 30 suam, ei dixit: « Salutem dico tibi, et abeo ». Et tunc iniecerunt frenum ori eius, et abduxerunt eum. Et cum eius mater videret eum abduci, ploravit amaras lacrymas, et eius venter arsit ut ignis propter multam tristitiam et fletum.

Victor autem et nuncii *regis* conscenderunt navem; et navis 35 mox profecta est, et pervenerunt in urbem Alexandriam, et

[1] MATTH., XXVIII, 13. Ut lictores homines, ita Martha filium alienabat a Christo.

ingressi sunt ad Armenium. Et Armenius dixit Victori: « Magnus sane tu es, sed iussum regis maius est ». Et praefectus dixit nunciis: « Eratne Hermanus, Victoris pater, apud regem? » Et nuncii dixerunt ei: « Pater eius sane est qui id fecit ». Et nuncii tradiderunt Armenio chartam; et Armenius legit eam, et dixit Victori: « Ecce enim, monente hac charta, si tu adoraveris deos, rex faciet te magnum, et ego honorabo te, et *in officio* constituam te; nunc igitur, Victor, *veni, et adora (p. 237.) deos. Si autem amore Christi detineris, absconde eius amorem in corde tuo; et adora deos, et magnus eris; et amabunt te omnes, et reges et populi ». Et Victor dixit Armenio: « Audi quod dixit Dominus noster Iesus Christus [1]: Illum autem qui negaverit me coram hominibus, et ego negabo eum coram Patre meo, qui in caelis est ». Et Armenius dixit Victori: « Ne magni facias teipsum, sicut Claudius ». Et Victor dixit Armenio coram primoribus Alexandriae: « Cum esses custos equorum Claudii, et alimenta expectares ab eius mensa, cur non locutus es eadem quae hodie, dicens: Magni fecisti, sicut Claudius! » Et cum talia dixisset ei coram primoribus Alexandriae, pudore suffusus est *praefectus*. Et Victor dixit ei: « Cur non solus locutus es mihi? Contumelia non afficereris coram hominibus ». Et Armenius iratus est, et iussit milites suos, dicens: « Ducite eum, ut sacrificet deis et adoret eos; si autem recusaverit eos adorare, verberate eum et castigate eum ». Et primores urbis Alexandriae dixerunt Armenio: « Non licet tibi punire Victorem in urbe nostra, ne irascatur nobis *pater eius* [2] neve destruat nos ipsos et urbem nostram ». Et cum homines urbis prohibuissent eum, Armenius misit Victorem ad Arianum [3], praesidem urbis Antinoou, ut illic puniretur.

Et cum appropinquarent ad urbem Antinoou, exierunt homines huius urbis, ut viderent Victorem, dum est in navi, et Victor vidit unum e militibus seductis (?), cui nomen erat Phoibamon; et Victor cognovit in animo suo amorem Christi esse in eo. Et vocavit Victor Phoibamonem, qui erat ex urbe Diho [4], et dixit ei: « Veni, et accede ad me ». Et Phoibamon

[1] MATTH., x, 33. — [2] Cfr. infra, p. 216, lin. 22. — [3] አርያኖስ, ⲁⲣⲓⲁⲛⲟⲥ; erat Arianus dux Thebaidis. — [4] ሀገረ ፡ ዲሆ, ⲃⲁⲕⲓ ⲧⲟⲩϩⲟ, oppidum Touho, Kais inter et Eschmounain situm, Graecis autem Theodosiopolis (AMÉLINEAU, *La géographie de l'Égypte*, p. 471-472).

descendit currens ad Victorem, et ambo se mutuo osculati sunt et amplexi sunt. Et Victor dixit Phoibamoni: « Ecce tu eris martyr, et certabis strenuum certamen propter Christum; et hereditate accipies vitam aeternam in caelis ». Et cum Phoibamon haec audivisset, reliquit equum suum, et solvit cingulum suum et gladium suum, et iis proiectis, dixit: « Ego autem non amplius miles ero regis illius qui est in terra; sed credo in Christum, et animam meam tradam propter Christum ». Et eo tempore apprehenderunt Phoibamonem, et adduxerunt eum una cum Victore ad Arianum. Et cum Arianus vidisset eum, (p. 238.) *admiratus est; et legit chartam, quam nuncii secum attulerant, dixitque Victori: « Veni, adora deos ». Et Victor dixit: « Ego non adoro deos impuros, sed adoro Christum sanctum ». Et Arianus dixit ei: « Melius est tibi deos adorare, priusquam affligem te magna poena, et ne interficiam te morte mala ». Et Victor dixit: « Audi igitur quod dixit Dominus noster Iesus Christus: Ne enim eos timueris qui interficiunt corpus; sed time eum qui potest perdere animam et corpus in gehenna »[1]. Et Arianus iussit servos suos verberare Victorem flagellis; et illi verberaverunt eum, donec dilaceraretur eius corpus, et eius sanguis manaret sicut aqua. Et venerunt primores urbis Antinoou, et dixerunt praesidi Ariano: « Non permittemus tibi, ut interficias Victorem in urbe nostra, ne irascatur eius pater nobis, et nostrae urbi et uxoribus nostris et filiis nostris ». Et Arianus misit eum in agrum Kesandron[2], ubi erat altus murus instar magnae arcis.

Et cum Victor pergeret in id oppidum, vidit eum quidam senex, cuius pes erat fractus; et dixit: « Quis est iste quem video? » Et dixerunt ei: « Est Victor, Hermani filius ». Et senex, cuius pes erat fractus, apprehendit Victorem, et sumpsit e sanguine illius, et eo unxit pedem suum fractum, et dixit: « Credo in nomen Christi, et credo in Victorem, martyrem sanctum ». Et mox sanatus est pes eius, qui erat fractus. Et cum vidissent pedem fractum sanatum esse, crediderunt in Christum qui illic erant, una cum servis regis Diocletiani et

[1] Matth., x, 28. — [2] ከሰንድሮን, ቀስትሮስ, ቀስትሮን « castrum »; locus ubi sanctus Victor passus est, appellabatur Castrum Hieragion, situm in tractu dextero Nili, a fronte urbis Antinoou. (Lemm, *Kleine Koptische Studien*, p. 10-12; Zoega, *Cat. cod. Copt.*, p. 239).

servis Ariani, qui missi erant ut adducerent Victorem; et maledixerunt dominis suis et odio habuerunt eos, Diocletianum nempe et Arianum; et dixerunt Victori: « Ignosce nobis, princeps, quia non voluntate nostra peccavimus in te; et nunc etiam
5 abi quo velis ». Et reliquerunt eum illic, et redierunt omnes in provinciam suam, credentes in Christum. Senex autem, cuius pes sanatus est, erat faber lignarius; et Victor dixit seni: « Da mihi asciam, et serram [1], et terebram, propter Christum ». Et senex haec dedit ei. Et Victor sumpsit ea, et perrexit ad
10 Qestron, et habitavit illic; et excidebat ligna olivarum, e quibus fabricabatur et faciebat cochlearia [2], quae vendebat ut victum compararet, et partem victus dabat pauperibus. Et vidit eum mulier, cui nomen erat Stephana [3], timens Deum; et adiuravit *Victorem, ut ingrederetur in domum suam. Et ingresso Vi- p. 239.
15 ctore, illa sumpsit oleum, et linivit eius vulnera, eique *cibum* edendum apposuit. Et cum vidisset eam propter Dei amorem operam dare accepit ab ea, ne averteret eam ab amore Dei. Et illa dixit ei: « Frater mi, Victor, ne intermittas ingredi domum meam propter Christum, ut salves servam tuam pecca-
20 tricem, et comedas panem meum, et me bona facere doceas ». Et Victor dixit ei: « Fiat voluntas Dei ». Et cum Victor faceret cochlearia, in iis fingebat signum crucis. Et constituit habitationem suam in summo monte solitario.

Et quadam die, cum ille descenderet ex habitatione sua, Satan
25 similis factus alicui ex hominibus Antiochiae, ad eum accessit, et ei occurrit in itinere, eique dixit: « Esne tu Victor? » Qui dixit ei: « Sane ego sum. Et quis es tu; et ubi me cognovisti? » Et Satan dixit ei: « Ego te cognovi in urbe Antiochia,

[1] In versione aethiopica Martyrii legitur ምሣር, quod interpretatur « ascia, scalprum, securis » (DILLMANN, *Lex. ling. Aeth.*, col. 894; GUIDI, *Voc. Amar.-Italiano*, col. 72). Videtur legendum esse ሞሣር, « serra » (DILLMANN, *Lex.*, col. 894). — [2] Vox መንኪ significat « cochlear » (DILLMANN, *Lex.*, col. 190; GUIDI, *Voc.*, col. 390); in Synaxario coptico (27[a] barmudae) fertur Victorem fecisse *cathedras* (AMÉLINEAU, *Les Actes des Martyrs de l'Égypte*, p. 178). — [3] In Encomio sancti Victoris dicitur puella, quae passa est cum sancto Victore, nomen habuisse ⲥⲧⲉⲫⲁⲛⲟⲛ, quod vertitur « corona » (BOURIANT, *Eloges*, p. 229 et 234). In versione aethiopica Martyrii legitur ስጢፋኒ, haud dubie lapsu calami pro ስቴፋኒ; de hoc verbo consule CRUM, *Coptic Ostraca*, p. 57.

et cognovi patrem tuum Hermanum et matrem tuam Martham; ipsa tristis est propter te; et tu peris hic fame, et indutus es panniculis sicut pauper. Et nunc etiam veni mecum ut ducam te ad patrem tuum et ad matrem tuam; et laetaberis cum illis, et uxorem duces, et honorabit te et rex et populus; et hono- 5 raberis apud eos ». Et Victor dixit ei: « Nonne ego sum cum patre meo et matre mea? Pater enim meus est Christus, et mater mea est sancta ecclesia christiana. Et ego etiam cupio placere Christo, et ille alit me operibus manuum mearum ». Et Satan dixit ei: « Quaenam sunt opera manus tuae? ». Et Victor 10 ostendit ei cochlearia in quibus erat effictum signum crucis. Et venit super illum timor et tremor, et similis factus est flammae ignis, et evanuit. Et statim Victor gratias egit Deo; oravit, et dixit: « Diligam te, Domine, ex viribus meis. Deus est vis mea, et fortitudo mea, et Salvator meus; Deus meus, 15 et adiutor meus, et confidam in eo; protector meus, et cornu salutis meae, et refugium meum; laudabo nomen Dei, et salvus ero ab adversariis meis ». Et recitavit hunc psalmum [1] usque ad finem.

Et cum orationem absolvisset, rediit in habitationem suam; 20 et venit ad eum Dominus noster Iesus Christus, similis factus viro peregrino; et locutus est cum eo de libris Prophetarum p. 240. et Apostolorum, *et de cuncta interpretatione eorum quae attinebant ad Christum [2]. Et Victor hilaris fuit, cum audiret verba Domini nostri Iesu Christi, quae de Lege erant secun- 25 dum Scripturas. Et Victor habebat cingulum aureum, et Dominus noster Iesus Christus dixit ei: « Amasne aurum? Video in te cingulum aureum ». Et Victor dixit ei: « Nihil abstuli e domo patris mei, nisi hoc cingulum; et etiam illud detineo non ob amorem auri, sed ut praesto habeam, cum ad me venit 30 peregrinus, et eius ope hunc excipiam ». Et abscidit aliquantulum cinguli; et profectus est, et vendidit, et secum attulit quod Iesus comederet. Et cum Victor intravisset ad Iesum, invenit mensam instructam coram Iesu; et cum vidisset Victor id mirum esse et incredibile putavit; et dixit Iesu: « Domine 35 mi, quis tu es, et unde venit tibi haec mensa, cuius adspectus mirus est? » Et Iesus dixit ei: « Veni, comede, Victor, serve

[1] *Ps.* XVII. — [2] Alludit ad LUC., XXIV, 27.

Dei, quia propter orationem tuam Deus demisit hanc mensam ». Et statim metuit, et ad mensam accubuit cum illo, et comederunt; et Victor cognovit eum Iesum esse. Et Iesus dixit Victori: « Ecce sprevisti domum patris tui et matris tuae, et
5 uxorem et filios et omnem honorem terrenum, et pluris aestimavisti me; et nunc etiam veni ad te, ut hilaris sis; et ecce ego ero *tibi* pro patre tuo; et Ierusalem libera erit pro matre tua; et paradisus deliciarum pro domibus tuis; regnum caelorum pro uxore tua et honore tuo; quanquam iuvenis fuisti,
10 dilexisti virginitatem; quanquam dives fuisti, amavisti paupertatem propter me; et ego etiam tecum ero semper ». Et his dictis, Dominus noster Iesus Christus dedit ei pacem, et adscendit in caelos; his autem auditis, Victor laetatus est magna laetitia.

15 Et Satan similis factus est uni ex hominibus aegyptiis; et profectus est Antiochiam; et intravit ad Diocletianum; et rex dixit ei: « Quis es tu et unde venisti, et quae est patria tua? » Et Satan dixit: « Patria quidem mea est Aegyptus; et ego etiam sum peregrinus aegyptius; et veni ad te, ut
20 adorarem deos tuos, et te viderem ». *Et rex dixit ei: « Quid novi est in regione, et inter principes et omnes qui in ea habitant? » Et Satan dixit ei: « Omnes iucundi et concordes sunt, et te amant, et adorant deos tuos, et nemo est qui non obediat tibi, nisi vir unus cui nomen est Victor, Hermani
25 filius; et ille quidem recusavit deos adorare, et tradidit se totum Christo, et odio te habet, et contemnit deos tuos; et insuper maledicit tibi; et vult regnum tuum delere ». Et postquam haec dixit ei, rex dedit ei multas divitias, aurum, et argentum, et vestes pretiosas. Et Satan, sumptis his divitiis,
30 ivit ad deos, et adoravit eos, et obtulit eis has divitias. Et rex Diocletianus scripsit chartam, et misit eam ad Armenium, praefectum Alexandriae, dicens: « Si quidem *Victor* adoraverit deos, honora eum, et iube eum venire ad me, ut ego eum laetificem; si autem recusaverit eos adorare, interfice eum mala morte;
35 et interfice omnes qui credunt in Christum ». Et misit cum hac charta quattuor milites ex exercitu suo, qui pervenerunt Alexandriam, et chartam tradiderunt Armenio. Et is cum legisset eam, misit nuncios cum eadem charta ad Arianum praesidem urbis Antinoou. Et cum Arianus audivisset quod erat

p. 241.

scriptum in ea charta, profectus est cum nunciis multisque copiis, et pervenit Qestros, ubi erat sanctus Victor. Et Arianus, ingressus ad eum cum nunciis regiis, dixit Victori: « Euge, laetus sis! » Et Victor dixit ei: « Laetitia est in me et in omnibus qui credunt in Christum; in te autem non est laetitia, neque in omnibus qui credunt in deos, neque etiam in rege tuo Diocletiano, quia abnegavit Christum, et adoravit idola ». Et Arianus dixit Victori: « Ego autem unum verbum bonum locutus sum, et tu mihi respondes talia et tanta mala; scito ergo, Victor, nunc etiam me non mea sponte venisse, sed quia rex misit ad me nuncios cum hac charta ». Et legit eamdem chartam; et in charta rex dicebat: « Si Victor adoraverit deos, magnum fac eum, et honora eum, et iube eum venire ad me, ut et ego eum laetificem; si autem recusaverit deos adorare, castiga eum magna poena, et interfice eum morte mala ». Et Victor dixit ei: « *Non obediam tibi, neque Diocletiano, regi tuo; neque deos tuos adorabo ». Et statim unus e nunciis regis Diocletiani sumpsit gladium suum, et percussit collum sancti Victoris; et mox angeli descenderunt in fulgoribus cum coronis ad sanctum Victorem, et coronaverunt eum dicentes: [1] « Et imposuisti super eius caput coronam, quae facta est gemmis pretiosis, alleluia! Vitam petiit a te, et tu dedisti ei, alleluia! per longos dies et per saecula saeculorum, alleluia! »

p. 242.

Et eius requies fuit septimo et vicesimo die mensis m i y a z y a.

Et cum Arianus et nuncii regis vidissent fulgorem descendisse e caelo super Victorem, cepit eos timor et tremor, et redierunt in oppidum suum. Et exierunt viri urbis Questron, et sumpserunt eius cadaver, et involverunt illud pannis bonis propter timorem eius patris et propter fulgorem qui erat super illud; et adduxerunt illud in ecclesiam christianam, quam everterat et clauserat rex Diocletianus; et illud posuerunt illic in capsa, quam certo modo clauserunt.

Et Arianus rediit in urbem suam Antinoou, captus timore; et nuncii regis reverterunt in provinciam suam Antiochiam; et ingressi sunt ad regem, et nunciaverunt ei omnia quae gesta sunt. Et rex iratus est eis, et dixit eis: « Cur vinculis non adstrinxistis eum, et non misistis eum in carcerem, donec se

[1] *Ps.* xx, 4-5.

converteret, quia puer erat, et non habebat intellectum? » Et dixerunt ei tres ex quattuor nunciis: « Princeps noster, nos equidem patientes fuimus, et ei nihil nocuimus; sed is tolerare eum non potuit, audiens tibi conviciari; et accepto gladio, percussit eum absque consilio nostro ». Et mox rex apprehendit Victoris interfectorem, et tradidit eum Hermano, eius patri; et Hermanus tradidit eum servis suis; et servi Hermani ceperunt interfectorem Victoris, et cum plumbum liquefecissent in magna olla aenea, in illam proiecerunt eum. Et cum Martha, Victoris mater, audivisset filium suum interfectum esse, ploravit amaras lacrimas, et luxit super eum valde.

Et postquam Deus extinxit et delevit regem Diocletianum, Deus regnare fecit Constantinum; cuius in diebus firma fuit fides in confessionem Christi, et destruxit omnes deos et templa idolorum, et aedificavit ecclesias christianas. Et Martha, Victoris mater, sumpsit secum multas divitias, aurum, et argentum, et vestes pretiosas, et lignum, et multum ferri, quibus implevit magnas naves, *et profecta est, et pervenit Alexandriam; et magistratus provinciae Aegypti occurrerunt ei, donec pervenerit ad Questron. Et ingressa est locum, ubi erat corpus Victoris, filii sui, et illud amplexa est, et ploravit amaras lacrimas; et postea laeta fuit. Et cum audivisset miracula et prodigia facta esse propter eius gratiam, eo quod ille martyr Christi fuit, illa instauravit eius capsam et vestes pretiosas; et magnam ecclesiam aedificavit eo loco quo coronatus est [1], et quo eius sanguis est effusus. Et cum illa aedificaret hanc ecclesiam, iussit decorari cuncta ligna auro et argento; et quemdam artificem ex iis qui aedificabant, animadvertit Martha aurum furantem; et Martha siluit, cum moesta esset, dicens in corde suo: « Si autem, me adstante, furati sunt aurum, quomodo illud relinquent in posterum? » Et cum illa dormiret nocte apparuit ei Victor, eius filius, et dixit ei: « Salus tibi, mater mea Martha; et nunc etiam moneo te, mater mea, ne auro argentove circumdes cuncta ligna huius ecclesiae christianae; nam futurum est aliquando ut veniant Mahumedani, et domi-

[1] Abu Saliḥ refert in tractu dextero Nili prope urbem Süyut (Asiut), fuisse monasterium sancti Victoris, in cuius ecclesia servabatur corpus martyris. (Cfr. EVETTS, *Abu Salih's Churches and Monasteries of Egypt*, p. 251).

nentur in omnes provincias Aegypti; et quando venient isti Mahumedani et videbunt esse aurum argentumque circa omnia eius ligna, destruent eam, et evertent eam propter cupidinem auri; tu autem aedifica eam lapidibus, ligno, ferroque, et illa manebit per multos dies ». Et cum Martha audivisset Mahumedanos regnaturos esse in terram Aegypti, moesta fuit ob legem Christi, et dixit: « Si autem ita futurum est, fili mi, quare laboro ad aedificandam ecclesiam? » Et Victor dixit ei: « Ne moesta sis, mater mea; quando enim venient Mahumedani, haud cessabit Christi lex in universa terra Aegypti; sed manebit fides ieiunii, et orationis, et eucharistiae, et crescet fortitudo fidei, dum habitant cum haereticis Mahumedanis. Et in sede sancti Marci non deficiet sed adhuc constituetur patriarcha; et non deficient, sed per manus patriarchae constituentur secundum ordinem suum metropolitae et episcopi, presbyteri et diaconi. Et regnum Mahumedanorum permanebit breve tempus; et paucos post dies Deus faciet regnare in urbes Aethiopiae virum sanctum et Christi amantem, et eius manibus destruentur Mahumedani et gentiles; et postea ibit in terram Aegypti, et delebit *Mahumedanos et omnes eorum reges. Et Deus regnare faciet in provinciam Constantinopolis virum sanctum, amatorem ieiunii et orationis, et Christi amantem, cui nomen erit Tewleda Anbasā; et is conveniet cum rege Aethiopiae in media terra Aegypti; et convenient etiam cum illis patriarcha Alexandriae et patriarcha Constantinopolis; et rex Aethiopiae relinquet suum exercitum in austro et in septentrione; et simul congregabuntur reges duo et patriarchae duo; et sese consalutabunt, et patriarchae sedebunt in cathedris suis, et dicent regibus: ‘Sedete in vestro quoque solio’. Et dicebat patriarcha Alexandriae: ‘Fides nostra melior est’. Et dicebat patriarcha Constantinopolis: ‘Fides nostra melior est’. Et dicebat patriarcha Alexandriae: ‘Ego vobis nunciabo verba quae Deus dedit mihi’. Et dixerunt ei duo reges: ’Dic, nuncia nobis, pater noster.’ Et ille dixit: ‘Eamus et ingrediamur in hanc magnam ecclesiam abbatis Senuthii, et ego consecrabo eucharistiam in altari, et hic alter patriarcha consecrabit eucharistiam in alio altari; et venient omnes populi et copiae vestrae ad videndum; et si Spiritus Sanctus palam descenderit ad alterutrum nostrum, videntibus eum vobis omnibus, in eam-

dem legem ibimus omnes, quia recta et certa est fides eius'. Et dixerunt ambo reges: 'Sane, probamus haec verba, quia Dei voluntas est in eis'. Et statim ibunt ambo reges, et patriarchae, et omnes copiae eorum, et sacerdotes et populus; et in-
5 gredientur in eam ecclesiam magnam, et consecrabunt ambo patriarchae in uno et altero altari; et descendet Spiritus Sanctus, similis candidae columbae, et lux simul atque ille ad altare in quod consecraverat eucharistiam patriarcha Alexandriae, videntibus qui illic aderant omnibus. Et tunc laetabitur
10 rex Aethiopiae, quia sui patriarchae et sua lex fidesque gratae fuerunt coram Deo. Et rex Romae cum populo suo tristabitur; et colliget omnes suos libros, et proiiciet eos in mare. Et maledicent Leoni, eius papae, quod olim ad haeresim induxit eos, et corrupit *eorum fidem; et omnes se convertent in unam fidem, p. 245.
15 quae est fides patriarchae Alexandriae et regis Aethiopiae; et erunt omnes in fide consentientes Romani, Aegyptii et Aethiopes; et erit magna charitas inter eos; et gratias agent Deo, et laudabunt eum omnes, dicentes: 'Alleluia!' Rex autem Aethiopiae et rex Romae sibi invicem salutem et pacem adprecabuntur,
20 et revertet uterque in regnum suum. Et ab illa die erit laetitia et pax per omnes provincias et per totum orbem; et Deus iubebit terrae, ut sponte fructum ferat, et mittet benedictionem; et eo tempore terra feret plurimos fructus, et vivi transibunt super sepulcra mortuorum, et dicent ad eos: 'Surgite
25 enim et videte gaudium quod nobis est hodie!'» [1] Et postquam sanctus Victor dixit matri suae hanc universam prophetiam, adhuc dixit matri suae: «Salus tibi, Martha, mater mea!» Et his dictis, recessit ab ea. Et tunc Martha experrecta est e somno, et laeta sedit, et sedulius intendit ad construendam
30 ecclesiam christianam. Et ab illa die gavisa est et gratias egit Deo.

Et erat in urbe Asiut quidam vir, cui nomen erat Poemen; et is diligebat martyrem Victorem, et festum agebat in eius memoriam, et in eo confidebat. Et acceptis decem millibus de-
35 nariorum, profectus est ad mercaturam exercendam; erant autem Poemeni servi nonnulli, qui eum non amabant; simulabant quidem se esse christianos, sed occulto idola colebant

[1] Cfr. *Ps.* LXXXIV, 10-14 et *Ps.* LXVI, 5-8.

et deos adorabant. Et cum illi scirent Poemenem profectum esse ad mercaturam exercendam cum denariis aureis, exierunt, et expectaverunt eum in via; et apprehenderunt Poemenem. Et Poemen dixit: « Domine, Deus martyris Victoris, serva me, et libera me e manibus gentilium! » Et illi dixerunt ei: « Ecce 5 nunc occidemus te, et videbimus num Victor valeat te servare e manibus nostris ». Et Poemen dixit: « Si autem martyr voluerit, poterit me servare; sed si tempus meum est hodie, moriar propter Christum ». Et illi dixerunt ei: « Sed id nihil proderit tibi; veni, adora deos, et dic: 'Non sunt dii nisi dii 10 Diocletiani!' et nos etiam relinquemus te, et non occidemus te; si autem recusaveris adorare, iugulabimus te ». Et Poemen dixit eis: « Ego non adoro deos, sed Christum; neque est deus, p. 246. nisi Deus *Victoris ». Et eo tempore deiecerunt eum in terram, et sumpserunt cultrum, eum iugulaturi. Et mox venerunt ad 15 illum Victor, et Stephanus, Basilidis filius, et Theodorus Anatolius, et Theodorus cum copiis suis[1], et Claudius, Ptolomei filius, et omnes martyres Antiochiae qui antea fuerunt. Et cum gentiles vidissent eos, timuerunt pro se ipsis, dicentes: « Praeses urbis Antinoou et omnes eius copiae sunt ». Hi autem dixerunt 20 eis: « Non est vobis potestas in hunc *virum* christianum ». Et propter timorem isti nihil locuti sunt. Poemen vero locutus est, et dixit: « Hi gentiles apprehenderunt me, et dixerunt mihi: 'Adora deos Diocletiani; si autem recusaveris adorare, occidemus te' ». Et Victor allocutus est Poemenem, et dixit ei: 25 « Vinci hos gentiles ». Et Poemen vinxit eos. Et Victor induit speciem praesidis, et omnes martyres instar copiarum martyris Victoris *videbantur*. Et Poemen adduxit gentiles ad ecclesiam christianam, quam Martha aedificabat; et Victor dixit Poemeni: « Devinci iugo gentilem unumquemque iuxta ecclesiam chri- 30 stianam ». Et Poemen devinxit eos. Victor autem dixit eis qui aedificabant ecclesiam christianam: « Verberate hos gentiles multis verberibus ». Et verberaverunt eos multis verberibus. Et nuncii dixerunt Marthae: « Venit quidam praeses cum suis copiis, et verberavit gentiles multis verberibus iuxta ecclesiam 35 christianam ». Et Martha misit ad praesidem nuncium qui ei diceret: « Dimitte eos propter Christum ». Et praeses ad Mar-

[1] Lapsus interpretis, pro Theodorus stratelates.

tham misit nuncium qui diceret: « Iussi eos devinciri, quia multa sunt eorum peccata ». Et Martha misit ad praesidem nuncium, ut diceret: « Quae sunt eorum peccata? » Et praeses dixit eis: « Fatemini peccata vestra, ut populus audiat ». Et
5 iidem gentiles fassi sunt peccata sua, et dixerunt coram populo: « Poemen ivit ad locum ubi sunt eius thesauri, et exiit ad eremum, et pervenit ad fluvium; nos autem prehendimus eum. Et Poemen dixit: 'Christe, Deus Victoris, serva me e manibus gentilium'. Et nos diximus ei: 'Nunc videbimus num Victor,
10 Hermani filius, poterit te servare'. Et Poemen dixit: 'Si voluerit, Victor poterit me servare; et si Christus voluerit, moriar; prodest enim mihi mori propter nomen eius' ». Et haec Marthae narraverunt. Et Martha misit nuncium ad praesidem, qui diceret ei: *« Condona eis ». Et praeses dixit: « Quia Martha rogavit, p. 247.
15 dimittimus eos ». Et Martha misit cibum et potum ad praesidem et ad eius copias; et praeses Victor comedit et bibit, et gavisus est cum omnibus suis copiis. Et praeses Victor locutus est ad populum dicens: « Ego sum Victor, Marthae filius; et ii, qui mecum adsunt, sunt Theodorus Anatolius, et Claudius, et omnes
20 martyres Antiochiae ». Et dixerunt omnes martyres populo: « Dicite Marthae: 'Salus tibi, Martha, et virtus Iesu Christi tecum sit' ». Et omnis populus miratus est, et haec omnia verba rettulerunt Marthae, quae laetata est, et gratias egit Deo. Et gentiles, qui voluerant occidere Poemenem, mirati sunt,
25 et crediderunt in Christum; et baptizati sunt in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; et acceperunt corpus et sanguinem Christi.

Martha autem ad finem perduxit aedificationem ecclesiae christianae; et patriarcha Alexandriae consecravit eam, et egit
30 festum martyris Victoris; et legerunt librum *martyrii* Victoris; Martha autem cum populo audiebat. Et qui legebat, cum pervenisset ad locum quo scriptum est quomodo iniecerunt frenum ori Victoris, et adduxerunt eum ad eius matrem in urbe Antiochia, tunc eius mater ploravit cum recordaretur quomodo
35 iniecerunt frenum eius ori. Et absoluto Victoris festo, Martha sumpsit corpus Victoris, filii sui, et reversa est in urbem Antiochiam, et aedificavit magnam ecclesiam christianam nomine Victoris, filii sui; et adornavit eam auro et argento; et patriarcha Demetrius consecravit eam; et Martha induxit corpus

Victoris in ecclesiam christianam; et illic manifesta sunt multa miracula et prodigia. Eius oratio et benedictio sint nobiscum. Amen et amen.

Tutela Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et tutela omnis verbi eius, et tutela Dominae nostrae Mariae.... sine intermissione sit! 5

EFFIGIES VICTORIS.

I.

1 Ut « Sanctus, Sanctus, Sanctus », sanctificatione (*trisagio*), p. 248.
diceres in caelo cum angelis coram Trinitate,
5 in terra fuisti e contrario, homo contemptor terrae;
tibi scribam donum et salutationem, effigiei laudem,
celebrate vultu, Victor, secunde Moyses.

2 Salutem memoriae nominis tui, quod minus non est nu-
quam quattuor bestiae throni Filii [1]; [mero litterarum
10 cibus totus purus es, Victor, circa divitias iustorum;
super animam mei, servi tui, quasi aream montis Salmonis,
e nube certaminis tui pluat gratia tua, sicut grando.

3 Salutem capillis capitis tui, qui non nexi sunt ad voluptatem,
de more qui est in mundo;
15 Yakum (*fortis*) Victor, genus Aboli Balaz (*validi*) [2];
nemo fuit sicut tu in custodiendo novo mandato;
poenae sanguis, quem effudisti, sicut aqua factus est rivus.

4 Salutem capiti tuo, *quod est* diadema corporis tui *tanquam*
et aurea corona colli tui *tanquam* regis; [principis,
20 cymbalum auri, Victor, et suavis modulationis nablum,
sono tuo, sicut vitis uva, in medio maris et terrae
intellegentia gaudet, et spiritus exultat.

5 Salutem faciei tuae, quae laetificat pulchritudine sua,
plus quam stellae fulgidae, quae tegunt faciem caeli.
25 Quis est, Victor, cum parva esset aetas sua,
sicut tu, qui certavit, ex iis qui sunt e terra?
Nonne certamen tuum propter Christum grave fuit?

6 Salutem palpebris tuis, quae circumdant pupillam, p. 249.
sicut moenia sepis *circumdant* domum;
30 quia parum non ivi per viam virtutis, Victor,
cum reficis iuventutem in monte Sion, haereditate tua,
suscipe me, domine, in tutelam tuam ut munus.

[1] Cf. *Apoc.*, IV. — [2] Cf. III *Reg.*, VII, 7.



7 Salutem oculis tuis, stellis faciei, *quasi* firmamenti,
qui respexerunt ad occidentem legis et amoris;
in habitatione tua, Victor, in interiore arcis dirutae,
miror dicendo: Certamen martyrum tuorum, o Primogenite,
quam stupendum et quam mirabile est! 5

8 Satutem auribus tuis, quae non audierunt cum delectatione
consilium Hermani, patris tui, qui sacrificavit in honorem Apol-
pro mercede laboris tui, Victor, et pro certamine tuo, [linis;
ut faceres ibi exsultationem et festum magnae delectationis,
in regno caelorum nuptiae tibi sunt paratae. 10

9 Salutem genis tuis, quae afflictae sunt scutica,
pro eo quod, *sicut* miles impegit alapam Filio Mariae, potentia
iuvenis Victor, et puer parvae aetatis, [praedito;
ob magnum certamen tuum acervus admirationis effusus est [1]
in corpore sponsae, quae est intellegentia hominum peregri- 15
[norum et indigenarum.

10 Salutem naribus tuis, quae, sicut Salomon divulgavit,
similes erant excelsae turri Libani [2];
cum cor tuum, Victor, cupiret opus certaminis
propter Christum, qui genitus est ex essentia Patris, 20
Antiochia properasti descendere ad terram Aegypti.

11 Salutem labiis tuis, quae coram facie regis infidelis
sine timore locuta sunt fidem Christi vivificatoris;
Victor, sacerdos, *similis* Eleazar ex genere Levi,
sacrifica, domine, cultro *qui est* auxilium substantiale (*firmum*), 25
agnum anniculum, *qui est* cura mei viri solitarii.

p. 250. **12** Salutem ori tuo, quod vexavit frenum,
cum reliquisti delicias mundi propter amorem secundi mundi;
gemma margaritae, Victor, ex genere Claudii qui erat onyx,
traiice me luce tua ex area tenebrarum, quae est infirmitas, 30
per viam certaminis tui ut eam *sive* ad dexteram *sive* ad si-
[nistram.

[1] *Cant.*, VII, 3. — [2] *Cant.*, VII, 5.

13 Salutem dentibus tuis singulis,
quos Deus inter se cohaerere fecit, ut eum sua voluntas impulit;
Victor fidelis, opera illorum qui abnegaverunt Dominum suum,
mirabilis oppressio quam passus es in foro Hermanii,
5 piaculum animae meae sit coram Patre et Filio eius.

14 Salutem linguae tuae, quam timor cessare non fecit,
cum loquebatur fidem suam coram regibus infidelibus;
Victor valide et martyr athleta,
adversarios meos occide, domine, modo multiplicis auxilii,
10 sicut olim David occidit Goliath.

15 Salutem voci tuae cuius sono, ut pavore tonitrus,
perterriti sunt Antiochiae exercitus idolorum;
cum, Victor, legebas singula capita et singulas paginas
libri certaminis, nempe aequalis *eras* Georgii,
15 angeli caeli te ipsum spectabant e caelo.

16 Salutem halitui tuo, spiritui fidei in gratia,
qui spiravit sine defectu coram multis turbis;
plene Victor, qui non habes ordinem defectus,
liberet me, devotum tuum, e servitute domini, *id est* carnis,
20 ordo et lex certaminis tui spiritalis.

17 Salutem gutturi tuo, quod non adamavit potum vini terrae,
quia in interiore suo habitat gustus vini amoris Filii.
Quis est, Victor, qui tibi aequiparetur honore?
Nonne Philotheus, cum adspexerit certamen,
25 didicit a Deo librum magni honoris tui?

18 Salutem collo tuo, quod cruciatum est gladio militis, p. 251.
dum Horion perficit ultima per mandatum angeli;
sed propter hoc, Marthae fletum amarum,
Victor, recordans, ne eripiaris unquam mihi,
30 quia tu es dominus, et ego sum tibi servus.

19 Salutem humeris tuis, qui leve habuerunt onus
iugi Christi, pro Eo qui in Calvario crucifixus est;
dum facis coetum, Victor, cum martyribus,
visita me auxilio tuo, et da mihi clementiam,
35 ut tempore lassitudinis suscipiam vim ex vi tua.

20 Salutem dorso tuo, quod Christi Dei flagellationem
recordans flagellatum est a praefecto litis et perturbationis;
quamvis carnalis esses, Victor, tamen spiritalis angelus;
decet ut linguae praedicant te beatum, mane et vespere,
beatitudine patientiae Iobi, viri benedicti. 5

21 Salutem pectori tuo, quod macilentum fuit propter vim
cum reliquit divitias corporis; [famis,
ut facias me martyrem Evangelii socium, Victor,
quia appropinquavi ad te una cum radice cordis mei,
edoce me legem certaminis tui, valde mirabilis. 10

22 Salutem sinui tuo, simili sinui Filii Virginis benedictae,
in quo accubuit Iohannes, *hoc est* certamen martyrii [1];
o Victor, laudabat te voce
Martha te ipsum amans, clamans et dicens:
Mirabilis est odor Victoris, *qui est sicut* malum. 15

23 Salutem manibus tuis, quae ligatae sunt post tergum,
et insuper portaverunt gravem lapidem;
agne paschalis, Victor, christe lithostroti [2],
quo animo fuisset, si vidisset tormenta quae fuerunt super te
Claudius, dilectus tuus, dux exercituum? 20

p. 252. 24 Salutem brachiis tuis, quae susceperunt dolorem,
nam pes cordis tui non stetit, *ne* semel *quidem*, in foro ado-
Martha, Victor, ploravit te mire, [randi ligni;
cum recordaretur plane quod bibisti venenum occisoris,
dicens: utinam ego biberem sanguinem! *utinam morerer*! 25

25 Salutem cubito tuo, cum hic cruciatus erat
illic inventus est navis fortis gubernator (?);
tu, Victor, cinctus fascia [3], sicut Christus,
a gratia tua, quae est aqua pelvis, ne sim exterior,
lava me, discipulum tuum, ut sim tibi socius. 30

[1] Cf. Ioh., xiii, 23. — [2] Ioh., xix, 13. — [3] Cf. Ioh., xiii, 4 seq.

26 Salutem ulnae tuae, quae est canna auri rutili,
quam *S. Iohannes* Abuqalamsis [1] suscepit e manu angeli puri;
sapiens Victor, et simplex sicut columba,
cum similis sis arcae, prae aqua peccati, quae est quasi diluvium,
5 absconde me, domine mi, servum tuum, qui sim similis Noae.

27 Salutem palmae tuae, quae laboravit fabricando,
sicut prudens magister fabrorum;
gratia Spiritus Sancti *quasi* lac, quae nutrivit te, Victor,
ad communicandam *eucharistiam* celebrabas missam cum
10 [Cherub caelesti,
pro eo quod separatus fuisti a patre propter amorem Patris.

[trunci,
28 Salutem digitis tuis, *qui sunt* rami palmae manus, *quasi*
quorum numerus est iota (*decem*), aedificatio montis Sinai,
15 tu, navis gratiae Victor, ne unda peccati [*quasi* turris;
submergat me, servum tuum, instar gravis lapidis,
duc me ad portum poenitentiae, *qui est veluti* septum.

29 Salutem unguibus manus tuae, qui similes sunt cidari,
nam figura eorum tegit capita decem digitorum;
20 sprevit [2] divitias regum terrae:
regnum caeli, quod apud se congregat iustos,
fuit tibi divitiae et honor verus.

30 Salutem lumbo tuo, quem septem prunis ignis
milites praefecti infidelis vexaverunt;
25 propterea, Victor, cuius haereditas *fuit* vinea tormentorum.
Christus manifestatus est tibi cum decem lucernis,
signis regni tui in nova eius vita.

p. 253.

31 Salutem ventri tuo, qui est sicut acervus tritici [3],
et circumdatus flore gratiae Spiritus sancti, *quae est* vita;
30 Victor, lucerna mire splendens in candelabro tormentorum,
ambulet in luce tua, dum in ea *anima* non sunt tenebrae,
anima mea fidelis omnibus horis.

[1] Cf. *Apocal.*, XI, 1. — [2] Legendum « sprevisti »? — [3] *Cant.*, VII, 3.

32 Salutem cordi tuo, quod non assensit Apollini,
quia manus hominis hunc fabricata fuerat;
laudo te, Victor, dum multus sum in canendo,
quia non reliquisti amorem Christi, qui est principium gratiae,
sicut dixit Paulus suavi cantico. 5

33 Salutem renibus tuis, qui in patientia castigati sunt,
sicut dixit verbum Davidis [1], dum *hic* relinquit iniquitatem;
turris operum, Victor, et aedificatio fidei [2],
ut Theoclia expulsa est ab haereditate eius patris in urbem Sa,
pro haereditate patris expulsio fuit sors tua. 10

34 Salutem menti tuae, quae est mens Israelitica [3],
quae custodia fidei alita est *quasi* pane mannae;
Victor, fili Marthae, bonae memoriae et famae,
cum suspensus esses deorsum multis modis,
plane similis fuisti Petro, filio Ionae. 15

35 Salutem intestinis tuis, quae non connexa sunt cupidine ul-
nam tota illa erant pax; [tionis,
Victor, dulce malum Marthae, *quae est quasi* campus,
cum Georgio et Mercurio Romae,
festina visitare me hodie. 20

[tatis,
p. 254. 36 Salutem visceribus tuis, quae amicta sunt vestitu humili-
et quominus manifestaretur tapetem occultationis stravit su-
Victor, tu qui inter martyres certasti egregie, [per omnia,
ut dicam coram mille historiam honoris tui sicut librum, 25
perpetuo obveniant mihi misericordia tua et iustitia tua.

37 Salutem umbilico tuo, qui similis est suo adspectu
smaragdo humeri sculpto et circulo tortili, qui erat super ephod [4];
Victor, nam promptus fuisti servire Christo,
illum qui vinxit corpus tuum cute bovis, 30
protrude in Siol, quia est genus Dathani [5].

[1] Cf. *Ps.* xv, 7; xxv, 2. — [2] H. e., fortis in operibus et in fide. —
[3] Cf. Ioh., i, 47. — [4] *Ex.*, xxxvi, 23, 26. — [5] Cf. *Num.*, xvi.

38 Salutem lumbis tuis, qui cinxerunt se virtute Spiritus Sancti,
quia nihili fecerunt cinctum aureum;
cum perfecisti, Victor, mortem *martyr* propter Christum,
pro fletu, qui manifestus fuit inter propinquos,
5 angeli cecinerunt tibi canticum.

39 Salutem femoribus tuis, quae plantata sunt sicut columen,
ut portent cameram corporis in parte anteriore et posteriore;
liber visionis, Victor, Kesbeel et iuramentum altum (?) [1],
nunciavisti numerum omnibus, sicut Virgini provinciae Ga-
10 Gabriel nunciavit bonum nuncium laetitiae. [lileae

40 Salutem genibus tuis, quae multum adoraverunt
Christum et eius Patrem;
tu, Victor, qui aequalis fuisti Thomae in cute sua,
cum sprevisti eorum idola, milites praefecti
15 extraxerunt, sicut radicem arboris, nervos tuos.

41 Salutem pedibus tuis, qui amabant currere
per viam multorum tormentorum pro recta fide;
calicem intelligentiae, Victor, sicut Urial Ezrae,
da mihi bibendum, ne intermittam opus salutationis tuae,
20 quia grandis est eius magnitudo et honor.

42 Salutem plantis pedum tuorum, quae incederunt p. 255.
per fornacem ignis ardentis, sicut tres pueri;
oh utilis, Victor, ei in quo non est utilitas,
doce me legem puritatis, per gratiam gratis,
25 quia incessus meus non est praestans.

43 Salutem calcibus tuis, quae passae sunt certamen
sine calceis aureis, quo tempore calcaverunt pulverem;
tu, pauper spiritu, Victor, sicut dicitur in Evangelio,
benedictus es, domine, quia divitias non dilexisti,
30 ut ferebat consilium Hermani, patris tui, qui se ipsum occidit.

[1] ምዑል (?); cf. *Librum Henoch* (ed. Charles, LXIX, 13 s.).

44 Salutem digitis tuis, qui *aptati* sunt
in summa calce lata, *planta* duorum pedum tuorum;
quia tu, Victor, credidisti in Christum,
spernens sexaginta dona [1], in regno eius caelesti
coronae tres tibi paratae sunt. 5

45 Salutem unguibus pedis tui, quorum candor non mutatus
cum in eis potestatem habuit fumus ignis fornacis; [est,
a certamine tuo, Victor, gradum non retulisti,
quia cor tuum in caelum raptum fuit,
cogitans quomodo deitas vendita est triginta argenteis. 10

46 Salutem staturae tuae, quae induït vestitum caelestem,
et adornata est gratia;
quia Christus, archipresbyter, renovavit viam tuam,
Victor, festinasti pergere per viam certaminis,
dum in mente cogitas regnare cum illo. 15

47 Salutem faciei tuae, quae est facies Christi vivi, [bilis [2];
cuius sicut in Psalmo dicitur, pulchritudo formae est desidera-
cum cubiculum domi tuae, Victor, ornatum erat pulchritudine
quomodo habitasti, domine, instar fratrum pauperum, [auri,
in medio campi metuendi et extensi deserti? 20

p. 256. **48** Salutem exitui animae tuae sine pavore vel perturbatione,
nam mors peccatoris non fuit;
Victor, *alter* Henoch, qui gratus fuisti Deo iustitiae,
tempore exitus animae tuae angeli nobilis cultus, *Deum colentes,*
psallerunt dicentes: Gloria coronasti eum. 25

49 Salutem cadaveri corporis tui, quod pollinctum est per
sicut verbum tuum iussit; [manus Horionis,
sol, Victor, qui dominatur in stellas,
admiratus sum cadaver tuum admiratione mentis suaviter,
nam redoluit sicut unguentum et bene oluit. 30

[1] H. e. nuptias. In loco MARC., IV, 8 « sexaginta » de nuptiis, « centum » de martyrio interpretantur Abessini. — [2] *Ps.* XLIV, 3.

50 Salutem dico involucro nobilis corporis tui,
postquam perfecisti cursum, et custodisti fidem;
o Victor, rogo te,
ut adiuves me coram inimico, et habeas me amicum,
5 quia tu es dominus meus et ego servus tuus.

51 Salutem sepulcro tuo in laudibus linguae et oris,
quia egregius est honor tuus;
mel apis terrestris, Victor, cibus Iohannis, *hoc est* gladius [1],
in caelis mille angeli caeli fecerunt
10 festum mortis tuae, quod celebravit liber eloquens.

52 Salutem translationi corporis tui in urbem Antiochiam
ab interna arcis Barqon, cura Marthae, matris tuae;
in translatione tua, Victor, festo novi miraculi,
psallerunt coram matre tua sacerdotes suavis psalterii,
15 et sicut arietes, in festo tuo exsultavit terra.

53 Ecce obtuli, cum patiens fuisti fortitudinis doloris,
donum salutationis, *quod est* cibus qui obfirmat vim hominis;
sed in retributionem servi tui peccatoris, Victor,
cum rex veniet iudicaturus omnes,
20 prope habitationem tuam fac habitationem meam.

II.

1 Salutem tibi, Victor, filio Marthae, laudo te vere; p. 257.
propter amorem Filii, qui crucifixus est postquam incarnatus [est,
sanguis tuus effusus est vicem rependens.

25 2 Salutem tibi; quod collum tuum vinctum est gravi collari [ferreo
propter fidem, Victor, in medio fori,
dedit tibi haereditatem regni Filii.

3 Salutem tibi; in via Bariqon, certaminis non obvenit tibi [lassitudo,
lingua unguenti *ut Paulus*, Victor, quia dolor
30 coram te fuit instar somnii.

[1] Marc., i, 6.; Matth., xiv, 8 (Ioh. gladio interempti).

4 Salutem tibi; sol, Victor, e visceribus Marthae, *quae erant* laus gloriae tuae ex ore infantium, *quasi* vestis [oriens, candida fuit sicut fulgur.

[schae,
5 Salutem tibi; gladius militis fuit tibi novum prandium pa- 5
cum per eum expectares, Victor, resurrectionem animae tuae, quo tempore adstitisti in foro certaminis.

6 Salutem tibi; cum audivit notitiam mortis tuae per acutum Martha ploravit fletum Rachelis, [gladium militis,
Victor, mirabilis certamine. 10

7 Salutem tibi; magnum certamen tuum multis modis,
o Victor, fili Marthae,
Antiochia miratur, singulis diebus,
et praedicat solum honorem tuum.

VII

GADLA SUSENYOS

SEU

MARTYRIUM SANCTI SISINNII

Aethiopicae versionis Martyrii sancti Sisinnii notum est tantum apographon, quod codice Abbadiano n° 179 continetur, e quo eruimus martyrium s. Claudii (vide supra p. 173); codex exaratus esse exeunte saeculo XVII videtur; martyrium sancti Sisinnii legitur a fol. 91 *r.* ad fol. 95 *v.*

Martyrium scriptum est in Aegypto; sed neque textus graecus aut copticus, neque versio arabica, hucusque reperta sunt.

De Martyrio sancti Sisinnii consulendum est opus AMÉLINEAU, *Les Actes des Martyrs de l'Église copte*, Paris, 1890, p. 183. Cf. etiam R. BASSET, *Les Apocryphes éthiopiens*, IV, p. 10 et seq.

MARTYRIUM SANCTI SISINNII.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, unius Dei. Certamen et martyrium sancti Sisinnii, Susipatris filii, e gente Antiochiae: eius intercessio sit nobiscum. Amen. p. 261.

5 Et consummatio eius certaminis fuit in vicesimo sexto die mensis miyazya, in pace Dei. Amen.

Fuit vir, cui nomen erat Susipater, e gente Antiochiae, qui habebat filium, cui nomen erat Sisinnius, et filiam nomine Anastasiam. Et quadam e noctibus angelus Dei apparuit Sisinnio, 10 cum dormiret; expergefecit eum e lecto eius; et cum experrectus esset, vidit magnam lucem, et surrexit perterritus timore. Et angelus Dei locutus est, et dixit ei: « Ego sum Michael, angelorum princeps, qui adsum coram throno Dei. Ego adiuvavi Iosuam, Nuni filium, donec deleverit Amalecitas. Ego ab-15 scondidi prophetam Ieremiam in cisterna paludis ab ore draconum et viperarum. Ego liberavi Danielem e fovea leonum. Ego eripui pueros tres e fornace flammae. Ego aderam sanctis, ut adiuvarem eos tempore eorum augustiae, donec salvi fuerint, et acceperint coronam gloriae in regno caelorum a Deo 20 iusto, Rege regum, Domino dominorum, Deo veritatis, Iesu Christo. Ne timeas, Sisinni; ecce Dominus sibi elegit te, servum bonum, ut coniungaris cum eius militibus; et adnumereris cum martyribus; et moriaris propter eius nomen, sicut socii tui, duo fratres, *quorum est* unus martyr Victor, Hermani 25 filius, quem excruciavèrunt Alexandriae propter nomen Domini nostri Iesu Christi; et sane finis eius martyrii erit in superiore parte provinciae Sahidis in Aegypto; et eius commemoratio fiet semper in aeternum. Et etiam non discedam a te, donec e caelo acceperis coronam. Et ego quoque ero tecum et cum 30 fratribus tuis martyribus, donec acceperitis *coronam gloriae p. 262. a Domino nostro Iesu Christo in regno caelorum. Et tu quoque iter facies ut pervenires ad urbem Nicomediam, et illic vidèbis magnum prodigium, et accipies pignus christianitatis sanctum, postquam reversus eris ex urbe Antiochia; tunc optime co-35 gnosces eos qui magi sunt, et idola quae colit Diocletianus vane et inaniter; et evertetur magnum templum Apollinis, in quo est habitatio daemonum, quorum religioni submissus est pater tuus; laborat enim in sacrificio alienigenae; et eius filius



peribit, dum interrogabit magum cum eius patre Atrefidos; et tu quoque expelles daemones, qui sunt cum patre tuo et sorore tua Antilia; cognosce et intellege quod nunquam eis erit virtus. Et filium, genitum ad perditionem, ne sinas vivere; esto libens, et firmus, et validus, et vince; et ecce ego tecum ero; 5 et per te multi credent in Deum, quia pater tuus accusabit te apud regem; et is irascetur tibi, et in carcerem coniiciet te. Nam ego veni ad te visitandum et tibi nunciandum quod tibi accidet; ne timeas poenas; et ecce tecum ero, et custodiam te omni tempore ». Et his dictis, archangelus Michael dedit ei 10 pacem, et adscendit in caelum, Sisinnio eum vidente.

Et sanctus Sisinnius perseveravit per totam noctem laudans et glorificans Deum, dicens: « Sane, oportet me fieri servum Dei, et finire cursum meum; et, finito cursu meo, fieri servum Domini nostri Iesu Christi ». Et postero die, rex iussit opifices 15 facere machinas tormenti, et misit famulos viatores e militibus suis cum libro epistulae per omnes urbes, dicens ut aedificarent templa idolorum, et everterent ecclesias christianas. Et rex misit famulos suos ad Sisinnium in urbem Nicomediam et in eius suburbia; et accidit magnus timor populo christiano, et 20 multis sacerdotibus, et credentibus in Christum; et tradiderunt se ipsos ad poenas et necem. Et cum Sisinnius hoc vidisset, cum esset in provincia Nicomediae, intellexit quod locutus est angelus; et vocavit servum suum conscium et fidum, et praecepit ei ut mox iret festinanter ad quaerendum virum christianum, 25 p. 263. *quem adduceret. Et servus ivit ad hanc urbem, et adduxit virum senem, sacerdotem sanctum, Dei amantem, qui habitabat in in ecclesia christiana, quae structurae pulchritudine erat *visu* iucunda, remota ab urbe Nicomedia mille passus. Et cum eo locutus, cognovit eius fidem, qui christianus erat, et paratus 30 tradere animam suam ad mortem, et ad aciem gladii, et ad ignem; et investigavit quo modo christiani (Deum) colunt, et accipiant retributionem suam parati suscipere magnam poenam. Et sacerdos docuit eum omnia quae ab eo quaesivit; et nunciavit ei sanctus Sisinnius etiam omnia negotia quae scire 35 cupiebat et postulabat, et quo modo angelus secum locutus erat. Et postea senex rediit ad ecclesiam christianam suam.

Et Sisinnius quidem rediit ad provinciam suam; et invenit sororem suam Litosiam peperisse portentosum filium, cuius

vultus turpis erat in modum bestiarum; et quemadmodum antea filiam quam peperat iugulavit, et eius sanguinem bibit, arte magica; — quod etiam agebat erga infantes, qui nascebantur in gente vicina et in gente suburbii: illa enim erat, arte ma-
5 gica, quasi accipiter et draco, et ingrediebatur in habitationem infantium qui nascebantur, ut occideret eos et biberet eorum sanguinem; — ita occidit et filium suum bibitque eius sanguinem, sicut vobis publice narrabimus. Et cum Sisinnius ingressus esset locum in quo erat soror sua, Deus aperuit oculos eius cor-
10 dis, et vidit daemones circumstantes illam, et adspexit eius filium, cuius vultus erat turpis, et illum cognovit aliena generatione filium esse daemonis Satanae, quem illa colebat. Et sanctus Sisinnius dixit Satanae: « Adiuro te per nomen Dei veri Iesu Christi, quem colunt christiani, et nos certiores facti sumus
15 a sacerdote Taode, ut perdas filium magi San, et Atrofodem et eius patrem, et maritum sororis meae Litosiae, et filium eius, ut omnes viri sciant Deum esse Deum deorum, et dominum dominorum, creatorem caeli et terrae [1]. Et postquam illi mortui erunt, tu proiicieris et praecipitaberis in gehennam, ne iterum
20 perdas homines ». Et cum duo magi id audivissent, qui erant filius San et eius filius, surrexerunt in Sisinnium ira *moti*, ut eum occiderent. Et Satan quem colebant, adscendit in fastigium magnae arboris, quae sita erat *iuxta domum ubi offerebant p. 264.
tus deis, et clamavit in eos, et illi mortui sunt. Tunc Sisinnius
25 mactavit sororem suam, cum eius filio, hasta quam manu tenebat, confodiens eorum lumbos. Et postea Satan, quasi flamma ignis factus, se extulit e terra, sicut exsecrando obtestatus est eum sanctus Sisinnius.

Et postea surrexit Sisinnius cum servo suo, et ivit ad Taodi-
30 mum, sacerdotem Nicomediae, et ei narravit omnia quae sibi acciderant; et interrogavit eum, qua ratione baptizaret eum aqua baptismatis christianitatis. Et ille respondit ei de iis rebus, et praeparavit aquam baptismatis, et baptizavit eum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unius Dei; et ministravit ei
35 mysteria sancta corporis et sanguinis Domini; et docuit eum scientiam librorum divinorum. Et iterum angelus Dei apparuit Sisinnio, et corroboravit cor eius, et adhortatus est eum de

[1] Textus corruptus videtur.

dono gratiae aeternae, quam Deus ei dederat. Idem angelus obtulit ei coronas tres: unam propter eius virginitatem, et alteram eo quod crediderat in nomine Christi, et tertiam propter eius sanguinem quem effusurus erat; nam miracula multa manifestanda erant ex eius corpore, in ecclesia christiana aedificanda in eius nomine, et in qua deposituri erant eius corpus, ad sanationem aegrotorum, et ad salutem eorum qui affligerentur per mare et terram, et eorum qui iter facerent; ita ut vir qui invocet nomen Domini et utatur intercessione sancti Sisinnii, salvus fiat ab omni angustia: « quia tu evertisti templa idolorum, et accipies coronam gloriae aeternae incorruptibilem ». Et tota nocte perseveravit vigilans in laudibus et psallens in psalterio Davidis, dum benedicebat Deo, amatori misericordiae, corde strenuo, cum confideret et lubens esset in Deo, qui concessit ei victoriam secundum omnia quae archangelus Michael laete ei nunciaverat.

Et postero die inde profectus est, et rediit Antiochiam, et in domum suam venit. Et eius pater venit adversus eum, et ei contentiose conviciatus est, eo quod occiderat sororem suam cum eius filio, eiusque maritum et idolorum sacerdotes. Et eius pater dixit ei: « Si forte rex audiverit quod egisti, te occidet. » Et sanctus Sisinnius respondit et dixit ei: « Si autem times regem terrae, qui morietur, quomodo non timebo regem caeli et terrae et Dominum *dominorum? Cur pepercissem illi feminae infideli, quae perdidit animas multorum, et bibit eorum sanguinem, adeo ut non pepercerit suo filio? » Et eius pater iratus est ei, et valde indignatus est, et scidit vestes suas, et surrexit adversus eum, et verberavit eum virga flagelli, et frendens in eum dixit ei: « Submitte te deis, ut bene habearis apud regem; si vero non ita fiet, ego ducam te ad eum, ut occidat te ob ea quae egisti ». Sanctus nunciavit ei et locutus est cum eo hac de re. Et postea profectus est cum eo in itinere ad templum idolorum, et in via invenit virum elephantiasi *morbo* affectum; et eius vestis tetigit virum aegrotum, qui statim sanatus est. Et *is* clamavit magna voce, dicens: « Ego credo in Dominum Iesum, Deum sancti Sisinnii, coram omni populo ». Et admirata est turba eorum qui adspexerunt hoc miraculum; secuti sunt eum, et deduxerunt eum secum, donec introducerent eum in templum idolorum. Hac die sustulit oculos suos

ad caelum, et appropinquavit ad eorum deos. Et Satan, qui habitabat in eo *loco* clamavit, et dixit: « Vae vobis; ecce instat dies perditionis vestrae! » Tunc sanctus Sisinnius dixit: « Domine mi, Iesu Christe, qui adscendisti super crucem tua sponte propter salutem servorum tuorum, qui credunt in nomine tuo, qui dixisti verbo tuo, quod verum est: 'Omnia quae postulaveritis in nomine meo, fiet vobis' [1]; nunc etiam rogo te, ut e caelo demittas ignem ad comburendum hoc templum idolorum, illudque deleas usque ad fundamenta ». Et cum finiret hoc dicere, descendit ignis, et statim combussit templum idolorum. Et cum Susipater, eius pater, vidisset Sisinnium, scidit vestes suas, et ivit eiulans ad Diocletianum, regem infidelem, et ei narravit omnia quae egerat Sisinnius, filius suus. Et rex iratus est magna ira, et praecepit militibus suis, ut adducerent eum probrose catenis ferreis *vinctum*. Et cum pervenissent ad eum, ut eum comprehenderent, erat quidam e militibus qui caecus erat *altero* oculo; et sanctus Sisinnius vocavit eum, et oravit Deum pro eo, ut sanaret eius oculum, ut videret sicut alter et esset sanus; et postea imposuit manum suam super eius oculum, et dixit: « In nomine *Domini nostri Iesu Christi aperire ». Et sanus fuit oculus huius militis; sicut sanus erat eius oculus sinister, ita fuit et dexter. Et crediderunt ille et qui cum eo erant in nomine Domini. Rursus ivit sanctus cum sociis qui crediderunt, quo erat rex; et rex novit illos credidisse sancti Sisinnii opera; et hac die rex infidelis iussit eos occidi; et occiderunt eos omnes, qui acceperunt coronam vitae aeternae in regno caelorum.

p. 266.

Et cum sanctus Sisinnius adstaret coram facie regis Diocletiani, reddidit ei honorem militis sicut olim *cum esset* in dignitate sua. Aperuit et dissolvit cingulum suum, et deiecit vestem suam, et proiecit eam coram oculis regis, et dixit: « Ecce igitur, Deus mihi propitium nunc se praebuit, et extulit me e puteo perditionis et e luto paludis; ecce elegit me rex meus et Deus meus, Deus veritatis, immortalis, Dominus; constitutus sum eius miles ». Et rex valde iratus est, et iussit eum flagellari in faciem rota ferrea; excoriaverunt eum, donec figura eius vultus conscissa est; et ex ea fluxit sanguis quam plurimus. Et sanctus Sisinnius aperuit os suum, et benedixit Deo,

[1] IOHANN., XIV, 13.

dicens: « Gratias tibi ago, Domine mi et Deus mi, Iesu Christe, qui dignum me fecisti pati propter nomen tuum sanctum; laudo te, Domine mi et Deus mi, Omnipotens, qui fecisti ut anima mea et corpus meum lucerent in spiritu lucis; benedico tibi omni benedictione, quod constitutus sum a te ut ostendam quid- 5 quid debetur regno tuo, ut laudetur nomen tuum. Rogo te ut obfirmes me, ut sustineam patienter hanc poenam propter nomen tuum sanctum; quia tibi est laus et potentia usque in aeternum. Amen ». Tunc rex Diocletianus infidelis dixit ei: « Profer tus deis, ne moriaris morte turpi; constituam te in di- 10 gnitate altiori quam erat honor tuus antehac; et faciam te magnum et honoratum principem, quia ego diligo te valde, et clemens sum erga te, ne poena moriaris amara morte ». Et dum rex ita alloquitur sanctum, angelus Dei descendit de caelo, et attrectavit faciem sancti, et abstersit eius corpus, et sana- 15 p. 267. vit eum a vulneribus suis, iussu Dei gloriosi; *et dixit ei: « Persevera in Domino tuo, neque pavescas, quia ego sum tecum, ut obfirmem te, donec confuderis hunc regem infidelem ». [Et sanctus Sisinnius dixit regi] Diocletiano: « Non mihi curandum est de honore tuo aut de poena tua; ego sprevi hunc 20 mundum. Ecce adhuc visitavit me archangelus Michael, et sanavit vulnera mea, sicut vides me, rex infidelis ». Et cum adspexisset eum, et *vidisset* quo modo sana erat facies eius excoriata, cum flagellavissent eum virga ferrea, rex infidelis dixit ei: « Ecce nunc igitur, Sisinni, manifesta est ars magica tua 25 et scientia tua, ex magia orta; sed ego adaugebo poenam, donec magia tua pereat ».

Et erat illic Hermanus, martyris Victoris pater. Is autem significavit regi ne sineret eum vivere; et quomodo verberavit filium suum, cum sanctus recusavit offerre tus. Rex man- 30 davit ut adscendere cogerent eum in rotam ferream, et contererent eum donec apparerent eius ossa; et effunderent in eius corpus acetum et calcem vivam. Et sanctus Sisinnius dixit Diocletiano regi infideli: « Poena tua non afficit me dolore; Dominus meus Iesus Christus corroborat me. Gentes cognoscent 35 te esse effusorem sanguinis, et infirmos esse deos tuos ». Et angelus Dei adstabat sancto Sisinnio, ut adiuvaret eum, et dixit ei: « Obfirma cor tuum, neque timeas, donec viceris hunc regem infidelem ». Et rursus rex dixit sancto: « Profer tus deis,

o infidelis sceleste, ne moriaris morte mala; ecce vidisti qualis sis; reddam tibi tempus constitutum propter pulchritudinem iuventutis tuae ». Et sanctus dixit ei: « Heri patiens fuisti in me; sed hodie ne patiens sis in me ». Et cum rex ab eo haec 5 verba audivisset, mandavit ut facerent opus fusile, tauri instar, cui affixi essent clavi ferrei, acuti sicut anceps gladius; et tunc milites apprehenderunt sanctum, et prostraverunt eum super *clavos istos*, et imposuerunt eum supinum et posuerunt super eius ventrem lapides magnos, donec evulsi sunt eius oculi et aqua 10 fluxit ex eius ventre. Et rex existimavit eum esse quasi mortuum, et locutus est in eius contemptum, dicens: « Cur non venit eius Deus, ut eum salvet a manu mea? »

Et rursus *rex* praecepit ut auferrent lapides desuper eius ventre, et perforarent eius collum, et iniicerent ei *funem, quo eum p. 268. 15 auferrent et traherent per coenum platearum, ut viderent eum omnes gentes. Et hoc die obscuratus est sol, et operuerunt terram nebula et caligo, nubes et procella, tonitru et fulgur; et pluvia vehemens descendit, ita ut commoveretur terra, et agitaretur; fugerunt milites et omnes gentes *perculsi* timore, 20 et reliquerunt eum iacentem sicut cadaver. Et archangelus Michael descendit ad eum, et dixit ei: « Esto firmus, fili mi, et consolatum sit cor tuum lubens et victor spe vitae aeternae; ecce parum abest ut perveniat tempus *accipiendi* diadema capitis tui cum corona nobili, secundum pactum quod fecisti 25 cum Domino tuo; propterea manifestabuntur e corpore tuo miracula multa in hac urbe; nam veniam ad te cum cohortibus angelorum, ut in altum te deducam, ut donetur tibi paradisus cum sanctis in regno caelorum. Ne timeas; ego ero tecum; et virtus Dei mei adiuvabit te, et confirmabit animam tuam, 30 donec consummaveris certamen tuum ». Et attrectavit omne eius corpus manu sua, curavit et sanavit eum, et sanatus est ab omni dolore. Et angelus dedit ei pacem, et adscendit ab eo in caelos. Et postea sanctus surrexit, et oravit dicens: « Domine mi et Deus mi, Iesu Christe, qui incarnatus es e virgine 35 sancta Maria pura, et crucifixus es diebus Pontii Pilati, et mortuus es pro nobis in corpore propter nostram salutem, et surrexisti e mortuis, et adscendisti in caelos in corpore assumpto e progenie nostra, et sedes ad dexteram tui Patris in caelo summo, et iterum venturus es in gloria tua ad iudi-



candos vivos et mortuos, illumina oculos cordium generationis viventium, ut cognoscant te esse Dominum Deum veritatis solum, et non esse alium deum praeter te ».

Et tum eo die recesserunt nubes, et *sol* luxit per aetherem; et singuli homines viderunt sanctum Sisinnium adstantem incolumem, et admirata est omnis turba et populus, et laudaverunt Deum. Et Diocletianus clamavit dicens: « Magnus Apollo, et Iupiter, et Diana, non est qui eis similis sit ». Et convertit se, et dixit ei sanctus Sisinnius: « Adspexi amorem tuum erga deos; et propterea apparuit timor; et pavor de te est omnis hic *terror qui accidit » [1]. Et sanctus beatusque Sisinnius dixit ei: « Satan fuit qui obscuravit cor eius, et delevit eum, et qui avertet eius cor a Deo caeli. Quandonam vidisti Apollinem, deum tuum impurum dare lucem in caelis? Immo, iste est caecus et surdus, et non sanat vulnera et dolores hominum. Si igitur unus est cui sit virtus, sicut tu indicas et admones, adduc *eum* nunc hic, ut mihi patefaciat unum e prodigiis suis divinis ». Et rex dixit ei: « Age, prodest ut eamus ad templum ».

Et rex ivit cum principe Hermano, patre martyris sancti Victoris, et adoravit deos peregrinos. Et rex iterum dixit beato Sisinnio: « Cave a magia tua; repelle a me hanc magiam tuam; accede, obedi, et adora deos ». Et sanctus Sisinnius accessit ad idolum; et Apollo obstupuit, et cecidit in faciem, ita ut fractus est eius humerus dexter. Ululavit Satan, qui in statua habitabat, dicens: « Educant abhinc virum Sisinnium; si habitaverit in hoc loco per horam peribunt omnes dei ». Et rex scidit vestes suas, et frendens dixit ei: « Vide quanto odio habent te dei propter magiam tuam, quam continuo peragis! » Et rex exiit, et eum eduxit e templo.

Et venit pater sancti Sisinnii, et accessit ad regem, et accusavit servum suum, cui nomen erat Ausanyos, dicens: « Huius etiam fidei ratio eadem est ac Sisinnii ». Tunc rex iussit adduci servum. Et cum *servus* pervenisset ad eum, rex locutus est ad eum iratus, eo quod renuerat adorare deos; adhortatus est sanctum Ausanium, ut relinqueret religionem Dei excelsi, Dei veritatis, gravi admonitione, crescente ira et indignatione. Diocletianus iussit eius collum gladio percuti coram eius domino

[1] Textus corruptus videtur.

Sisinnio; et ita consummavit martyrium suum, decimo die mensis miyazya.

Et quando miles percussit eius collum gladio, prosiliit paullum eius sanguinis, et adspersit faciem cuiusdam viri qui 5 daemone detinebatur; [tunc] Satan obstupuit, quia Deus obiurgavit eum, et eiulavit dicens: « Diocletiane, infidelis, cur ita egisti erga hunc christianum, ut expellat me ex habitatione mea? » Satan evaginavit gladium, *et irruit in regem, ut eum p 270. occideret; sed sanctus Sisinnius increpavit eum, et eiecit eum 10 ab hoc viro qui sanatus est virtute Dei, unius potestate; et credidit in Dominum invocavitque nomen eius; et credidit multus populus qui illic aderat.

Et dein iussit rex vinciri sanctum Sisinnium collari ferreo; et eius principes dixerunt ei: « Si non occidis hunc virum, 15 perdet omnem populum huius urbis magia sua, ut desinant se subiicere deis gloriosis et adorare idola ». Rex autem infidelis et maledictus blasphemavit nomen Dei caeli. Et respondit unus ex principibus, cui nomen erat Filuseforon, *vir* progenie valde nobilis: « Nonne audisti nunc, quomodo subegit deos impios? 20 Et etiam tu, impie, perdidisti multos homines; ecce saepius servos Dei punisti, non te convertis, neque times, neque tibi irascuntur homines dum verba prava perpetuo loqueris, sed nos credimus non esse deum neque in caelo neque in terra nisi Dominum Iesum Christum, Deum Sisinnii et Ausanii huius servi ». 25 Et rex dixit ei: « Tu quoque, qui mansisti sapiens, similis factus es stulto! Si quidem *hoc* cupivisti, ego offendam dignitatem tuam, ego puniam te magna poena [1], donec obsequium praestes deis meis ». Et ille dixit regi: « Fides mea non est in Apollinem, neque in deos, quibus non est anima, qui non possunt salvare 30 semetipsos; sed ego solus congregabo omnem hunc populum, et ducam eos in fugam deorum impurorum ». Eo die populus clamavit alta voce, dicens: « Non est deus in caelo neque in terra, nisi Dominus noster Iesus Christus, Deus sanctorum Sisinni et Ausanii ». Et cum rex vidisset eorum fiduciam *talem* 35 *esse*, ut nullo modo recederent a sua fide, praecepit ducibus suorum militum ut suspenderent sanctum Filuseforon, et transfigerent eum sagittis, una cum Sephrophiros; alios etiam, qui crediderant in eius nomine, cum illis pariter occiderunt acie

[1] Textus corruptus videtur.

gladii; et ita consummatum est eorum martyrium, die vicesimo sexto mensis miyazya.

Et adhuc rex mandavit ut adducerent sanctum Sisinnium; et cum pervenisset ad eum, *rex* dixit ei: « Sisinni, age, offer tus deis, qui adsunt, ut accipias magnitudinem et honorem di- 5
p. 271. gnitate quam olim habuisti maiora ». *Et sanctus dixit ei: « Ne credas futurum esse, ut persuadeas me verbis tuis et sermone tuo, impie, qui nescis Deum; sed tantum dic mihi, quosnam ex deis colis? Forsan colis Apollinem, qui cecidit in faciem suam, cuius humerus fractus est, et pars superior eius 10 dorsi? Aut alium e ceteris deis tuis qui, cum invocavissem nomen Dei mei Iesu Christi, ceciderunt, et deiecti sunt ab eorum sedibus, dum daemones fugiebant ab eis? » Tunc eo die, rex cum haec audivisset, plenus fuit ira et indignatione, frendens in eum. Et dixit ei: « Dicis tu deos esse daemones! 15 Nunc surge, citius offer tus deis, ne moriaris morte amara! » Et beatus Sisinnius dixit ei: « Nunquam offeram tus pro te; fac de me quod vis ». Et dixit princeps, qui erat prope regem: « Domine mi, ecce vidisti magnum malum quod fecit in deos et in nos; iube pro nobis, eum occidi, ne decipiat nos, et per- 20 dat multum populum ex urbibus nostris ». Eo die Diocletianus rex infidelis statim praecepit ut abscinderent caput sancti Sisinnii gladio, et comburerent eius corpus igne.

Et cum duxissent eum ad locum quo consummaturus erat martyrium suum, stans protendit manus suas, et oravit dicens: 25 « Rogo te, Domine mi, Iesu Christe, Fili Dei vivi, ut mecum sis, et me obfirmes constantia, donec tradiderim animam meam in manum tuam. Recordare verba quae angelus locutus est mecum, dicens: 'Ego tecum ero, donec consummaveris certamen tuum.' Et audi me, et adiuva me dono gratiae tuae, usque 30 in aeternum. Et hominem qui invocaverit et rogaverit in nomine meo, exaudi, et libera eum ». Et propterea rogavit militem, ut sibi concederet horam ad orandum. Et concessit ei longum tempus, donec absolverit orationem suam. Tum apparuit ei archangelus Michael, et cum eo erant cohors angelo- 35 rum et duces militum caeli, deferentes manibus suis tres coronas splendentes et decoras pulchritudine; et dixit ei: « Salus tibi, Sisinni, athleta, serve Dei, qui consummavisti martyrium tuum pulchrum propter nomen eius sanctum, qui consummavisti et custodisti fidem rectam propter Christum. Ecce tibi praeparata 40

est corona; et *paradisum deliciarum Deus dabit tibi, id quod tibi nunciavi. Et nomen tuum celebrabitur in omnibus provinciis; et omnes qui credent in Deum, et invocabunt nomen tuum, cum obvenerit eis necessitas aut angustia, audiet Deus, et adiuvabit eos. Et iam nunc requiem habebis in regno caelorum, et accipies donum gratiae aeternae, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominum adscendit [1]; quod nempe Deus praeparavit dilectis suis. Et qui custodient eius mandatum eo die dicent: Sanctus et beatus Sisinnius ». p. 272.

Et cum caderet super terram caput sancti, et archangelus Michael acciperet eius animam puram, et coronaret eam corona lucis, psallebant laudes sancti angeli coram eius anima, donec deduxissent eam in caelos, magno cum honore.

Et fuit consummatio eius martyrii vicesimo sexto die mensis miyazya, in pace Dei. Amen.

Et numerus eorum qui crediderunt eius doctrina et ope, fuit CCXC animarum; et acceperunt coronam vitae in regno aeterno. Et quod milites sumpserunt corpus sancti martyris Sisinnii, et proiecerunt illud in ignem, sicut rex infidelis praecepit eis, *proiicientur* in ignem aeternum. Sed quia ignis non combussit illud, sicut accidit tribus pueris, instante noctis tempore, ivit archipresbyter, cui nomen erat Astatarochus [2], cum ingenti populo, et sumpsit corpus sancti et eius caput gloriosum; et involverunt ea pannis mundis, et eum deposuerunt in eius domu, donec Deus deleverit regem impium. Et aedificavit ei ecclesiam christianam pulchra structura Antiochiae. Et inventum est eius corpus sanctum, et tulerunt illud, et adduxerunt illud in ecclesiam christianam, quae aedificata erat in eius memoriam, magno cum honore. Et ex eo manifestata sunt miracula et prodigia multa, usque ad hunc diem. Viri, qui invocant Deum in eius nomine, cum dolore laborant, sanantur a morbo suo, et glorificant Deum Dominum nostrum: cui sit honor, et gloria, et potentia, cum eius Patre, et Spiritu sancto vivificante, qui ei aequalis est, ab hoc tempore usque in saecula saeculorum. Amen.

Tutela Patris, et Filii, et Spiritu sancti, et tutela omnis verbi eorum, et tutela Dominae nostrae Mariae... sine intermissione sit! Amen.

[1] 1 *Cor.*, II, 9. — [2] Aristarchus (?)

INDEX TOMI XXVIII

